

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CLI. Christus Parabolam De Duobus Filiis A Parente In Vineam Abire
Jussis Proponit.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

CAPUT CLI.

CHRISTUS PARABOLAM DE DUOBUS FILIIS A PARENTE
IN VINEAM ABIRE JUSSIS PROPONIT. Matth. 21, 28. Marc. 12, 1.

RATIO ORDINIS.

M Arcus & Lucas quæstioni de Baptismo Johannis Sacerdotibus, Scribis & Senioribus à Christo propositæ subjungunt parabolam de vinea ingratu agricolis elocata, unde, referente Abulensi, quidam colligunt, esse in *Matthæo ordinis mutationem*, ac parabolæ de duobus filiis à parente in vineam abire jussis præponendam esse eam, quæ de vinea ingratu agricolis elocata agit. Sed nulla cogimur necessitate, ut ab ordine, quem Matthæus observat, discedamus. Marcus enim & Lucas non describunt parabolam de filiis in vineam ablegatis, sed simpliciter dicunt, quod Christus post disceptationem illam de potestate, quâ in templo doceat, *cepit loqui ad auditores in parabolis*, & statim subjungunt parabolam de vinea agricolis pessimis elocata. Ex illorum igitur descriptione non potest colligi, quæ parabola fuerit prior vel posterior. Quare cum Matthæus parabolæ de vineæ elocatione præmittat parabolam de filiorum in vineam ablegatione, merito huic ordini inhæremus, secuti præscriptum regulæ Theologicæ, quod non sit ab ordine litera recedendum, nisi evidens & necessaria appareat causa. Probat etiam hanc seriem, quod in principio parabolæ de filiorum in vineam ablegatione Christus dicit: *Quid autem vobis videtur?* Vobis scilicet Sacerdotibus, Scribis & Senioribus, qui ex me quæritis, quâ potestate hæc faciam, qui quæ nescire simulatis, an Baptismus Johannis è cælo fuerit, an ex hominibus. Ipsa enim textus connexio ostendit, iisdem hanc parabolam fuisse propositam, qui prius dixerant, nescimus. Altera verò parabola de vineæ elocatione plebi potissimum fuit proposita, ut disertè testatur Lucas c. 20. v. 9. *cepit dicere ad plebem parabolam hanc*, quamvis etiam illius parabolæ recitationi interfuerint Sacerdotes, Scribæ & Seniores, ut ex ipsorum responso intelligitur. Quid quod descriptioni posterioris parabolæ de vinea elocata Matthæus tale præmittit præmiolum, *ἀλλὰ ἡ ἀρχὴ ἡ ἀρχὴ*. At si hæc fuit alia vel altera parabola, consequens est præmittendam illi esse eam, quæ de duobus filiis in vineam ablegatis præcedit. Cæterum hæc parabola de duobus filiis in vineam ablegatis disceptationi de potestate Christi & Baptismo Johannis ordine perquam concinno à Christo subjicitur. 1. Quæsiuerant Hierosolymitani Proceres, quâ potestate Christus hæc faceret, Christus responderet illis per parabolam de filio, qui à parente in vineam abire jussus, verbis quidem promiserit, se abiturum, sed opere promissum minimè compleverit, tacitè innuens, ipsos accepisse quidem à Deo potestatem docendi, ac mandatū in vinea Domini operandi, ipsos etiam verbis gloriari, se in vinea Domini esse cultores strenuos, sed re ipsa nihil præstare, cum vel à docendi officio penitus abstineant, vel humana

somnia, non autem verbum Dei doceant, sicque vineam potius devastent, quam colant. 2. Convicti erant Sacerdotes in cordibus suis, Baptismus Johannis fuisse ex cælo, seque male egisse, quod non crediderint ei, nec Baptismus ab illo susceperint, nec tamen hoc ipsum confiteri voluerunt, ne jacturam aliquam sui honoris paterentur. Christus igitur de autoritate & doctrina Johannis coram populo disserere incipit, ac Sacerdotes gravissimè peccasse probat, quod non crediderint Johanni, qui ad ipsos venerat *in via justitiæ*. Sic ergo publicum testimonium dat Johanni, cujus doctrinam & Baptismus Sacerdotes suâ tergiversatione in dubium vocaverant, eademque operâ veritatem suâ prædicationis & potestatis à Johanne comprobata, populo præsentî declarat. 3. Christus non contentus adversariis suis os obruisse, extremæ eos impietatis & malitiæ arguit, quod *consilium Dei adversus semetipsos spreverint*, eò quod noluerint Baptismus Johannis suscipere, Luc. 7. vers. 30. ac proinde quamvis videri velint genuini Dei filii, ac multa jactitent de suis operibus & cultibus, tamen coram Deo ipsos revera esse hypocritas, verbis duntaxat de impletione mandatorum divinatorum, & voluntatis divinæ gloriantes: Contra verò Publicanos & meretrices per Johannis prædicationem ad penitentiam adductos, & in remissionem peccatorum baptizatos, voluntati divinæ sese obsequentes præbuisse, ut ut primum vitæ improbitate eidem obluclati fuerint. 4. Videbatur hi Proceres haud stultè sibi sapere, quod ad quæstionem de Baptismo Johannis, utraque ex parte periculosa, responsum declinaverant, ne ob repudiatum Johannis Baptismus impietatis accusari possent. Sed Christus ex ipsa responso declinatione occasione sumit extremæ impietatis & malitiæ ipsos convincendi, quod nescire se dicerent illud, quod etiam publicanis ac gravissimis peccatoribus erat cognitum. Metuebant, ne si dicerent Baptismus Johannis è cælo fuisse, sibi à Christo objiceretur, Cur ipsi non crediderint. At, quamvis vel maximè illud fateri nolint, nihilo tamen minus graviter à Christo arguuntur, quod Johanni non crediderint, nec exemplum aliorum ipsi credentium secuti fuerint, ut penitentiam agerent. Hanc connexionem monstrat ipse Christus, quando in applicatione parabolæ dicit: *Venit ad vos Johannes in via justitiæ, & non credidistis ei*. 5. Quia non poterat aperta quæstione disertum responsum ab ipsis impetrare, ideò proponit ipsis aliam quæstionem, non nudam & apertam, ut antea, sed tectam, & parabolâ quasi vestitam, ut eliciat ipsorum contra se ipsos responsum. Prov. 1. v. 17. inquit Salomon: *Frustra jaciunt rete ante oculos permarum, hoc*

hoc

hoc est, avicula, si videant ancipem retia explicantem, non facile advolant, sed quasi de periculo admonita sibi tanto magis cavent: qui ergo aves capere desiderat, eum oportet laqueos & retia occultare, ut aves capiantur, antequam laqueos sibi positos esse videant. Sic quia Sacerdotes per quaestionem de Baptismo Johannis laqueos sibi positos esse intelligebant: ideo respondent nescimus: alia igitur ratione Christus ipsos aggreditur. Proponit ipsis quaestionem generalem: Quid vobis videtur de duobus illis filiis, a parente in vineam ablegatis &c. ad quam non nisi per insignem impudentiam, & omnibus obviam tergiversationem respondere poterant nescimus; sicut ad priorem de Baptismo Johannis responderant. Cogit igitur ipsos hac parabolica quaestione, ut quod res est, respondeant, ut occasionem habeat ipsorum hypocrisis & impietatem in apicum coram omnibus producendi. Chrysolostomus homil. 68. in Matth. Propterea ab ipsis elicit sententiam, ut faciat eos ἀνοκαλέητους, quod ut facilius peragat, in aliam personam crimen transfudit. Nam quoniam noluerunt ē directo sateri, per parabolam, quam non intelligentes, simpliciter ac recte sententiam protulerunt, oculius ad quod volebat eos protraxit, & tunc tandem, quod parabola tenebris obduxerat, perspicuum fecit &c. 6. Proceres hi malitiosè hactenus cum Christo egerant tūm in interrogando tūm in respondendo, neque poterant permoveri, ut agnoscerent & faterentur se peccasse, quod Johanni non crederint Baptismum ejus recipiendo, sed contra conscientiam mentiebantur; ignorare se, utrum Baptismus Johannis ē cælo fuerit, an ex hominibus: Christus igitur justam rejectionis sententiam ipsis denunciat, quod Publicani & meretrices regnum Dei ingressuri sint, ipsi interim ab eo exclusi, cum pertinaciter erga Deum contumaces esse pergant, repudiata Johannis & ipsius

Christi prædicatione. Hæc omnia ostendunt, ordine convenientissimo quaestioni de potestate Christi & Baptismo Johannis parabolam hanc de duobus filiis in vineam abire jussis subjungi. Quod autem hæc parabola sequenti de elocatione vineæ rectè & convenienter præmittatur, apparet ex eo, quod hac ratione oratio magis asurgat, & accusationis gravitas intendatur. Nam in hac parabola Christus accusat Sacerdotes, Scribas & Seniores, quod servis Dei fidem non habuerint, nec mandatis ipsorum, quæ Dei nomine proposuerunt, sese obsequentes præbuerint, cum nec legem per Mosen ipsis datam opere compleverint, nec Baptismum Johannis susceperint, nec penitentiam de peccatis suis, viso aliorum exemplo, egerint: sed in sequente parabola de vinea agricolis pessimis elocata accusat ipsos, quod non solum servis Dei fidem habere recusaverint, verum etiam eosdem cæciderint & lapidarint, imò quod ipsum filium cœlestis patrisfamilias nefariè occidere cogitarint. In hac priore parabola denunciat ipsis, quod Publicani & meretrices acta prioris vitæ malè actæ pœnitentiæ, & suscepto Johannis Baptismo regnū cœlorum ingrediantur, ipsis interim foras relictis, ita tamen ut relinquatur ipsis adhuc potestas exemplum Publicanorum sequendi, & regnum Dei hac ratione ingrediendi: sed in posteriore parabola denunciat ipsis, quod regnum Dei planè ab ipsis auferendum sit, ac dandum alteri genti, facienti fructus ejus, quæ pœna longè major est & atrocior. Cæterum cum solus Matthæus parabolam de duobus filiis in vineam missis describat, non est laborandum de coagmentatione circumstantiarum: præmittemus igitur generale proœmium Marci, quod Christus caperit per parabolas loqui suis auditoribus, & postea descriptionem parabolæ ex Matthæo subjungemus.

PARABOLA DE DUOBUS FILIIS

à parente in vineam abire jussis.

MATTH. 21.

28. Τί ἡ ὑμῶν δοκέει; Ἄνθρωπος εἶχε τέκνα δύο. καὶ προσελθὼν τῷ πρώτῳ εἶπε· τέκνον, ὑπάγε, σήμερον ἔργαζ' ἐν τῷ ἀμπελῶνί μου. 29. Ὁ δὲ δοκεῖς εἶπεν· ἔγωγε· ὕστερον ἢ μετὰ μεληθεῖς, ἀπῆλθε. 30. Καὶ προσελθὼν τῷ δευτέρῳ εἶπεν ὡσαύτως. Ὁ δὲ δοκεῖς εἶπεν· ἐγὼ κύριε· καὶ σὺ ἀπῆλθε. 31. Τίς ἐκ τῶν δύο ἐποίησε τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς; λέγετε αὐτῷ, ὁ πρῶτος. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οἱ τελῶναι καὶ αἱ πόρνοι προσάρασκον ὑμᾶς εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. 32. Ἦλθε γὰρ πρὸς ὑμᾶς Ἰωάννης ἐν ὁδοῦ δικαιοσύνης, καὶ σὺ οὐκ ἠπιστεύσατε αὐτῷ· οἱ δὲ τελῶναι καὶ αἱ πόρνοι ἠπίστανον αὐτῷ, ὑμεῖς δὲ ἰδοῦτες καὶ μετὰ μεληθεῖτε ὕστερον, καὶ πιστεύσατε αὐτῷ.

28. Quid autem vobis videtur? Homo habebat duos filios, & accedens ad priorem, dixit: Fili, vade, hodie operare in vinea mea. 29. Ille autem respondens ait: Nolo: postea verò pœnitentiâ motus abiit. 30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: Ego Domine: & non abiit. 31. Uter è duobus fecit, quod voluit Pater? Et dicunt ei, prior. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quod Publicani & Meretrices præcedunt vos in regnum Dei. 32. Venit enim ad vos Johannes per viam justitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem & meretrices crediderunt ei. Vos autem cum vidissetis, non fuistis commoti pœnitentiâ postea, ut crederetis ei.

MARC. 11.

1. Καὶ ἤρξατο (ὁ Ἰησοῦς) αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς λέγειν.

1. Et cepit (Jesus) illis per parabolas loqui.



πῶς δὲ τὴν ἀποκρίμην ἀγγέλλει, collatio similitudinem significans; seu oratio comparativa ad explanationem rerum subjectarum; vel similitum rerum, collatio habens redditionem ab antecessa narratione. Quomodo parabola differat ab Historiâ, ab exemplo, ab allegoria, à metaphora, à typis, ab apologis, &c. & quid in explicatione parabolârum præcipuè attendendum, eâ de re alibi ex professo agitur, hoc loco breviter recensēbimus causas, propter quas Christus in concionibus suis toties parabolico docendi genere uti voluerit. Illæ verò sunt vel generales vel speciales. Generales, quæ citra discrimen objectorum sive auditorum considerantur, sunt præcipuè quatuor. 1. *Scripturarum impletio.* Hanc causam reddit Matthæus c. 13, 34. Hæc omnia locutus est Jesus, in parabolis & sine parabolis non loquebatur eis. v. 35. ut impletur, quod dictum erat per Prophetam dicentem Psal. 78, 2. *Aperiam in parabolis os meum, et ut labo abscondita à constitutione mundi.* Ne quis existimaret, novum atque in solens esse hoc docendi genus, adduxit Evangelista Prophetam Psalmi 78. autorem, sive si fuerit *Asaph*, cuius nomen titulus præfert, sive *David*, qui non solum usus fuerit hoc docendi modo, sed etiam prædixerit Christum eo usurum, quippe cuius typum gesserit. Quamvis verò in toto illo Psalmo non videantur contineri parabolæ quædam, sed nuda rerum jam olim gestarum, à majoribus q. per manus posteritati traditarum, Historica commemoratio, videlicet de iis, quæ Deus in populo Israëlifico post exitum ex *Ægypto* gessit, ac de variis beneficiis populo illi præstitis, deque tota Ecclesiæ Judaicæ gubernatione usque ad sua tempora: tamen dum parabolæ ea vocat, significat ea figuræ & typos esse rerum ad Christum & Ecclesiam ejus pertinentium, univ. sag. illa, ut Hieronym. in comment. loquitur esse parabolice sentienda, nec manifestam tantum sonare literam, sed abscondita sacramenta. 2. *Moris patrii observatio.* Familiare enim fuit Syris & maxime Palestinis ad omnem sermonem suum parabolis jungere, teste Hieronymo in cap. 18. Mat. Clemens Alexandrinus lib. 5. *Stromat. Barbarorum iuxta & Grecorum morem hunc fuisse attestatur, ac Seneca lib. 8. Epist. 60. scribit: Antiqui illi, qui rei demonstrandæ causâ, parabolis reserti sunt.* 3. *Auditorum excitatio.* Hanc causam ostendit ipse Christus, habet auro propositis parabolis exclamat: *Qui habet aures audiendi, audiat* Matth. 13. v. 9. Marc. 4. v. 9. Luc. 8. v. 7. quibus verbis ad seriam attentionem, diligentem propositarum parabolârum considerationem, & de genuino earum sensu percunctationem auditores suos excitare voluit. Hieronym. in cap. 13. Mat. *Christus perspicua miscet obscuris, ut per ea, que intelligunt, provocentur ad eorum notitiam, que non intelligunt.* Duplici verò nomine parabolæ auditorem excitant: primò propter *εὐεργεσίαν* & *εὐεργον*, de qua Chrysostr. homil. 45. in Matth. scribit, Christum propterea in parabolis locutum, *ὅτι ἡ ἐμπατιστικὸν τὸν λόγον ποιῶν, ut efficaciorum & potentiorum redderet sermonem & q. sub aspectum res ipsas poneret spirituales; Secundò propter ἡδίας sive jucunditatem, de qua Augustin. Epist. 119. ad Januar. *Movent figuratè dicta & accendunt amorem, quam si nuda & sine ulla Sacramentorum similitudinibus ponerentur, cujus rei causam difficile est dicere, sed tamen ita se habet, ut aliquid per allegoricam signifi-**

Harm Tom. II. vel Gerb. Contin. pars prim.

cationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quam si verbis propriis diceretur aperitissima. Utramque causam conjungit Chrysostr. homil. 33. in Johan. *Quid, inquit, sibi volunt hæ translationes, quibus Christus per totum utitur Evangelium? iidem & Prophete iis plurimum uti solent. Quanam hoc gratiâ? neq. enim temerè Spiritus sanctus ita instituit; duabus rationibus. Primum ut significantius loqueretur, & magis ante oculos poneret: mens enim familiarium rerum conceptâ imagine magis suscitatur, & tanquam in pictura rem ipsam magis amplectitur. Deinde ut jucundior esset oratio, ὥστε καὶ γλυκύτερον τὴν ἀγγέλλον, & diutius immoraretur. Non enim tam facillè sententia capitur, neque ita trahit auditorum multitudinem, ut rerum narratio, & per ea maxime, quorum periculum fecimus, descriptio. Varinus dicit: παραβολὰς τῶν ἐν ἐκείνῳ γένοντα, ἀνεργείας καὶ σαφηνείας. 4. *Ad humilitatem invitatio.* Ideo in parabolis sublimia cœlestis sapientiæ mysteria abscondit, ut auditores humili studio earum explicationem quærerent. August. in Psal. 140. *Obscura & difficilia somnum oscitantiam, excutiant, ut ad fructum intelligentiæ perveniant.* Speciales causæ respectum habent ad auditorum diversitatem. Duplices enim Christus in diebus carnis suis habuit auditores. Aliqui erant *pii ac dociles*, qui discendi studio Christum audiebant, illis parabolæ Christus proposuit propter *σαφηνείαν* ac *perspicuitatem*, ut de summis regni cœlestis mysteriis, per parabolæ ex rebus terrenis petitas, eos familiarius instrueret, ipsorum captui sese accommodans. Finis ergo parabolârum illorum respectu fuit *facilior informatio.* Hanc causam exponit Marcus c. 4, 33. *loquebatur illis per parabolæ, καὶ ὅτι ἡδύνατο αὐτοὺς, prout poterant audire sive intelligere. Impossibile enim est, inquit Dionys. lib. 1. de cœl. Hierarch. cap. 1. aliter lucere nobis divinum radium, nisi in varietate sasarum velaminum.* Sunt autem parabolæ sacra quædam velamina, quæ velant non explicata, explicata verò divinas res nobis ac spirituales aperiant. Hieronym. in cap. 4. Marc. *More providentiæ suæ Dominus parabolæ proponit, ut qui cœlestia capere non poterant, per similitudines terrenas audita percipere potuissent.* Cyrillus lib. 9. in Johan. cap. 43. *Cum à rebus, quas intelligimus, similitudinem, quamvis exiguam, supernaturalibus accommodamus, quasi in enigmate atq. speculo profunda Dei mysteria quodammodo intelligimus.* Gerson Dom. Septuag. *Parabolæ sunt tanquam specula, tanquam Naturales libri & picturæ pro simplicibus hominibus, ut per hoc, quod ad extra res noscunt sensibiles, citius eleventur ad intelligendum res spirituales & divinas.* Aliqui verò inter auditores Christi erant *indociles & obstinati*, qui non discendi, sed calumniandi animo Christum accedebant. Illorum respectu duplex fuit parabolârum finis. Primus artificiosa ipsorum redargutio & convictio. Ut enim ex proprio ipsorum ore adversarios suos condemnaret, per parabolæ ipsorum responsum elicit, ac postea in ipsos sapientissimâ accommodatione detorsit, ut in hac & sequente parabola manifestissimum. Similia exempla occurrunt 2. Sam. 12. v. 6. & seqq. 1. Reg. 20. v. 39. & seqq. Luc. 7. v. 43. &c. Alter finis est *accidentarius*, videlicet *mysteriorum divinorum occultatio.* Quia enim increduli & obstinati Christum de mysteriis regni clarè & perspicuè differentem audire*

Cc 4

nolue-

noluerunt, ac postea per parabolas docentem interrogare & de genuino earum sensu informationem petere recularunt, inde ex accidente per parabolas regni cœlestis mysteria ipsis occultantur. Hanc causam exponit Christus Matth. 13, 11. Marc. 4, 11. *vobis, parabolæ explanationem studiose & humiliter à me petentibus, datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem, qui foris sunt, qui in cœtu discipulorum? ητιτωσ̄ inveniri nolunt, omnia parabolis sunt, ut videntes non videant, & c. ubi τὸ ἴνα non ἀπὸ τῶν οὐκ ἰδόντων, sed ἐκ τῶν ἰδόντων accipiendum esse, superius ostendimus. Incredulis non solum dicta, sed & facta Christi sunt parabolæ, inquit Beda Matt. 13. Atq; hæc, quæ in genere hæcenus dicta de causis, propter quas Christus in docendo parabolis crebris uti voluerit, possunt etiam ad præsentem locum in specie accommodari. Proposuerat Christus Sacerdotibus, Scribis & Senioribus quæstionem de Baptismo Johannis, sed non poterat ab ipsis apertum responsum elicere, igitur per parabolas cum ipsis agere incipit, ut impetrato ad quæstionem parabolicam responso, postmodum ex proprio ipsorum ore impietatis & perversitatis eos convincere possit: interim eadem operâ auditores reliquos ad attentionem excitat, & de vera salutis via eosdem informat. Et cepit, inquit Marcus, illis loqui per parabolas. Verbū ητιτωσ̄ ostendit, Christum biduo proximo satis clarè & perspicuè sine parabolis de mysteriis regni cœlestis locutum fuisse, sed cum animadverteret, cum obstinatis & perversitatis adversariis sibi negotium esse, jam demum ob causas paulò antè expositas incipit cum ipsis loqui per parabolas. In plerisque Codd. Græcis habetur verbum λέγειν dicere, quod artis est & oratori magis congruit. Quædam verò exemplaria habent λαλεῖν loqui, quo modo etiam reddiderunt vulgatus Interpres & Erasmus. Syrus habet verbum ܠܠܝܢ: hanc lectionem si velimus sequi, subintelligendu erit participium λέγων, ellipsi Hebræis familiari omisissū, cuius similia exempla apud Marcum occurrunt, c. 10, 32. c. 11, 31. Quia verò unicam duntaxat parabolam Marcus recenset, & tamen in plurali dicit Christum locutum esse ἐν τῶν ἑσολαίῳ, idè quidam hanc phrasin non de materia concionū, sed de forma & modo docendi, videlicet de ipso genere orationis, quo Christ⁹ usus fuerit, exponunt, ut ἐν τῶν ἑσολαίῳ idem valeat, quod τῶν ἑσολαίῳ, ut loquitur Nonnus, hoc est, δι' ἀντιγράμμου. Sed simplicius respōdetur, Marcū propterea usū plurali numero, quia Christ⁹ plures parabolas eo tempore auditoribus suis proposuit, ex quib⁹ plures Mattheus recenset, ad quas multitudinis numero Marcus nos remittit, quamvis ipse unicam duntaxat eamq; gravissimā commemoraverat. Prima inter illas parabola fuit, quæ de duob⁹ filiis in vineā à parente abire iussis Christ⁹ Sacerdotib⁹ proposuit. Eam 1. exorditur præmissā quædam interrogatione: *Quid autem vobis videtur?* Familiare est Hebræis, Chaldæis & Syris Scriptorib⁹, ut parabolas incipiant ab interrogationibus, ut videre est in Thalmud Hierosolymitano tractat. de benedict. c. 2. Hunc morē Christ⁹ etiā hic observat, cum primis verò hac quæstione usus est, ut ipsorum responsum ad parabolā mox proponendam eliceret. *Quid, inquit, vobis videtur* de quæstione, quam vobis proponam? Nolistis ad quæstionem de Baptismo Joannis respondere, ne in odium po-*

puli incurreretis, aliā vobis quæstionem proponam, sed generalem, sed parabolicam, ad quam sine difficultate poteritis respondere. Agit Christus more eorum, qui bonā se fovere causam norunt, illi non verentur ad ipsorum adversariorū iudicium provocare: ita quoq; Christus hoc loco dicit suis hostibus: *Quid vobis videtur?* proferam ejusmodi quæstionem, in qua vestrum ipsorum iudicium non reformidabo. Particula adversativa δὲ autem ostendit, sequentem hanc parabolam esse quasi πρὸς τὴν αὐτὴν quoddā colloquii præcedentis, cui immediatè subjungitur. Dicitis vos nescire, an Baptismus Johannis fuerit ex cœlo, an ex hominibus, at hac ratione obstinatam vestram malitiam in lucem producit, quia *Johannes venit in via justitiæ, ostendit vobis viam ad justitiā & salutem, cui omnino debuissetis insistere. Fingitis vos nescire, quid de Baptismo Johannis statuendum, ac mirū est, vos illud ignorare, quod etiam publicanis & peccatoribus non fuit ignotum. Huic exordio per apostropham ad Sacerdotes directo subjungitur. 2. Parabolæ recitatio. ἀνθρώπος εἶχε τέκνα δύο. Quædam exemplaria legunt ἃ ἑσολαίῳ τῶν εἶχεν, sed res eodem redit, manifestum enim est, vocem ἀνθρώπος poni indefinitè: Homo, id est, quidam, per usitatum Hebraismum. Syrus reddit ܗܘܐ ܘܢܘܝܘܢ vel quidam. In voce τέκνων est species quædam synecdochæ, quia per hanc vocem, quæ etiam filias complectitur, intelligantur hoc loco filii, quibus labor in vinea propriè competit. Et accedens ad priorem dixit. Filii, vade, hodie operare in vinea mea. Per τὸ ἑσολαίῳ (vobis) intelligitur filius natu major sive primogenitus, sicut postea per δευτερον secundogenitus, quo sensu vox ἑσολαίῳ accipitur Matt. 22, 25. Marc. 12, 20. Luc. 20, 29. quamvis nihil impediat, vocabula ἑσολαίῳ δευτερον de ordine compellationis duntaxat accipere, quod primo unum, postea etiam alterum compellaverit, quo sensu vox ἑσολαίῳ accipitur Luc. 14, 18. c. 16, 5. c. 19, 16. etc. Sed propter mysticam significationem, de qua postea, præferenda prior explicatio. Dixit autem parens ad filium natu majorem: *Fili, vade, operare hodie in vinea mea.* Non exprimitur genus laboris, quia non pertinebat hoc ad principalem scopum parabolæ, qui est docere, quod voluntas patris filios in vineā abire jubentis non impletur nudis verbis, sed opere. Quod dicit: *operare in vinea mea, vel intelligendum est hoc modo, quod pater iste unam duntaxat habuerit vineam, quæ explicatio significationi mysticæ optimè congruit, vel si plures habuerit, quod filius ex circumstantiis facillè colligere poterit, quæ fuerit ista vinea, in quam à patre mittebatur, vel quod pater vineam in specie nominavit, Christus autem hoc non in parabola expresserit, utpote ad principalem ejus scopum minimè pertinens. Similis loquendi mod⁹ in parabola conformi extat Matth. 20, 7. Multa autem in his verbis continentur argumenta, quibus filius ad operandum in vinea permoveri debuisset. 1. Pater accedit ad filiū. Debuisset filius seipsum ad laborem & obediētiā promptū offerre, nec expectare, donec pater ipsū quæreret & in vineā ire juberet. 2. Erat hic filius primus, hoc est, major ætate, major natu, proinde etiam robustior & magis aptus ad laborem, ad quem à patre mittebatur. 3. Ipsa compellatio filii debebat esse obediētiæ ὁμολογησ̄. Fili⁹ es, idè æquum**

æquum est, ut mihi obtemperes. 4. Eadem vox est non solum benevolè invitantis & admonentis, sed etiam promittentis. Filius es, ergo & heres, quicquid ergo operaris, in tuum cedit commodum. Quò etiam pertinet, quod dicit, *operare in vinea mea*, quæ per hæreditatem cum omnibus fructibus aliquando erit & tua. 5. Operare *hodie*, non erit multorum dierum, sed paucarum horarum labor, postea sequetur quies & refocillatio. Tot argumentis promoveri debuisset hic filius, ut in vineam abiret & laboraret, sed recusavit & ex immorigero animo respondens dixit: *Nolo, ò dè sc. ðes πατρός*. Syntaxis refertur ad sensum, non ad verbum præcedens, quia præcessit nomen neutrum *hæritas*, postitum pro *hæritate*, cui articulus masculini generis respondet. Tales variationes generum frequentes sunt, quando de personis agitur. Genes. 3, 15. Matth. 28, 19. Joh. 14, 26. cap. 15, 26. Galat. 3, 16. Eph. 1, 13. Col. 2, 19. &c. Exaggeratur autem huius filii inobediencia in hoc præfracto responso. 1. Non utitur præfatione quadam honoris, nec Patris nec Domini nomine eum compellat, à quo tam amicè & blandè fuerat admonitus. 2. Non petit spaciū deliberandi, sed ex abrupto respondet: *Nolo*. 3. Nullas adducit rationes, propter quas laboret recuset, non corporis infirmitatè, non primogenituræ dignitatem, non aëris tempestatem, non laboris molestiam, neque aliud quicquam prætendit, sed simpliciter dicit: *nolo*. Postea verò *μεταμελῆσαι*, penitentiam ductus abiit in vineam, eamque coluit, *sermonis contumaciam labore corrigens*, ut Hieronymus hoc loc. loquitur. Beza in annot. Matth. 3. disputat, quod *μετανοῶν*, cum sit verbum absolutum, propriè significet *post factum sapere & de errore admissò dolore, ut corrigas, nec unquam sumi, nisi in bono*, quia cum *μετανοῶν* semper cohæret *σωτηριῶν*, *μεταμελῆσαι* verò significare *post rem aliquam factam sollicitum & anxium esse*, pro quo Latini dicunt *penitere*, atque *id usurpari posse etiam in vitio*, cum propriè non complectatur *vite & consilii mutationem in melius, sed simpliciter sollicitudinem quandam ac διοικήσιν sive disciplinam*. Beza hac in parte sequuntur Damaeus part. 4. Isagog. Christian. lib. 4. de fide cap. 52. Musculus in locis fol. 255. Zanchius in volum. posth. in 4. præcept. loc. 6. p. 745. Bucanus in Institut. loc. 30. quæst. 1. p. 312. unde *μεταμελῆσαι ad Legem, μετανοῶν ad Evangelium* referunt, atque illà quidem penitentiam penitentiam, dolorem scilicet sine fidei temperamento; hac verò penitentiam ἀμεταμέλητον scilicet, dolorem cum reditu ad sanio rem mentem per fidem & vitæ emendationem denotari scribunt. Bellarminus etiam lib. 1. de penitent. cap. 7. vocem *μεταμελῆσαι* nunquam ferè in Scripturis occurrere scribit, cum de conversione hominis peccatoris agitur. Sed opponimus illis manifestum hunc locum, ubi non solum in parabola, sed etiam in parabola explanatione & applicatione Matth. 21. vers. 32. voce *μεταμελῆσαι* pro salutari conversione Christus utitur. Distinguiamus igitur inter significationem *Etymologicam & Biblicam*. Secundum priorè voces illæ ita videntur differre, ut *μετανοῶν* mutationem mentis ac resipiscentiã; *μεταμελῆσαι* verò sollicitudinem ac penitentiam significet: *μετανοῶν* semper in bonã partem usurpetur; *μεταμελῆσαι* verò quandoque in vitio sumatur: ut *μεταμελῆσαι* magis congruat ad dolorè &

contritiones; *μετανοῶν* verò ad vitæ & consilii mutationem: Tertullian. lib. 2. adv. Marcion. p. 212. Lactant. lib. 6. Institut. cap. 24. sed secundum posteriorem significationem conveniunt, quia utraq; vox pro vera & salutari penitentia in Scripturis usurpatur, quod de voce *μετανοῶν* ipsimet concedunt, de voce autem *μεταμελῆσαι* ex hoc loco perspicuum: utraq; etiam vox pro hypocritica & infructuosa penitentia usurpatur, quod de voce *μεταμελῆσαι* ipsimet concedunt, de voce autè *μετανοῶν* apparet ex Proverb. 14, 15. Sap. 5, 3. Heb. 12, 17. unde etiam LXX. Interpp. vocem *μεταμελῆσαι* promiscuè reddunt per *μεταμελῆσαι* Ezech. 14. v. 22. & *μετανοῶν* Jerem. 8, 6. ac Græci Patres promiscuè his vocibus utuntur. Epiphani. adv. Cathar. εἰ τις παρὰ πρῶτον ἐκδοκῆσαι τὴν ἁγίαν & θεὸν ἐκκλησίαν, διδοσὶ γὰρ ἐπὶ τὸν κῆρυξ τὴν μετανοῶν τὴν μεταμελῆσαι. Chrylóstomus in Epist. Heb. μετανοῶν δὲ ἐστὶν ἰσθμὸς, ἀλλὰ κακῶς, ἀπὸ γὰρ γὰρ: quæ omnia expendens Urfinus part. 4. Catech. p. 16. agnoscit, *discrimen in his vel esse nullum, vel exile, nisi quod μετανοῶν partis intelligentis, μεταμελῆσαι partis volentis mutationem propriè significet*. Sed redeamus ad parabola continuationem. Postquam pater filii natu majoris contumaciam vidit, eandem dissimularis accessit ad alterum natu minorem, ac dixit *ὁπαύτως*, iisdem verbis ipsum exhortatus est, ut in vineam abiret & operaretur. *Accedens autem ad alterum: adverbatiua deponitur hic pro copulativa καὶ*, Pro τῷ δευτέρῳ in quibusdam Codd. legitur τῷ ἐτέρῳ, quam lectionem Syrus & Latinus Interpres sequuntur. Sed prior magis congruit textui & mysticæ significationi. Dicitur hic filius δευτέρῳ, non solum ratione numeri, cum in principio parabola dicantur duo filii huic homini fuisse, nec tantum ratione ordinis, quia ad alterum demum accessit, postquam primus abire renuit, sed etiã ratione ætatis, quia fuit natu minor. *Huic similiter dixit pater, i.e. dedit ei simile præceptum operandi eo die in vinea sua, quale datū erat filio natu majori, & dicere enim phrasi Hebraicã hic ponitur pro jubere*, Esther. 1, 10. 1. Paral. 20, 17. Jon. 2, 11. Matth. 4, 3. Marc. 5, 43. &c. *At ille respondens ait: ego Domine, scilicet πρὸς ἑσένα vel ἀπερχομαι ago abeo vel etiam πίνω ego faciam*. Origenes legit, *ναὶ κύριε*. Etiam Domine. Certissimè scilicet abibo. In quibusdã vetustis exemplarib. habetur, *ἐγὼ κύριε ἐγὼ ὑπάγω*. Alii Codd. habent *ὑπάγω κύριε*, alii *ἐγὼ κύριε, ἐγὼ ὑπάγω*, quæ verisimile est substituta fuisse ab illis, qui non satis expenderunt vim & efficaciam germanæ lectionis ἐγὼ κύριε, quæ ut est plerorumque Codicum Græcorum, ita eandem expressit etiam Syrus *אני יהוה* ego Domine mi. Est autem Hebraismus, qualis legitur Gen. 37, 14. 1. Sam. 3, 4. 5. 6. 9. ac formula promptè se offerentis ad obædiendum. In quibusdam Latinis Codd. est, *eo Domine*, quod procul dubio mutatum ex *ego Domine*, quamvis res ipsa rectissimè exprimitur. Vide, quæso, quam obædienter & humiliter hic filius respondeat. 1. Non dicit abeo pater, sed *ego Domine*, majoris reverentiæ testificandæ causã Dominum vocat, qui Naturã pater erat. 2. Non tergiverfatur, non excusat se, non differt in crastinum, sed ad operandum sese statim promptū offert, dicens: *Ego Domine, hoc est, præsto sum, ut faciã, quod jubes, paratus sum ad obædiendum, lubens faciam, quod præcipis*. 3. Non dicit, abeo in vineam, sed absolute & simpli-

simpliciter inquit: *Ego Domine*: quasi dicat, non in hoc solum meam demonstrabo obœdientiam, ut in vineam hodie abeam, sed ad quavis servitium præstanda paratissimus sum. Sit modo qui præcipiat, non deerit, qui faciat. 4. Ex eo etiam magis elucescit obœdientia & humilitas hujus filii (quæ tamen ficta & hypocritica) si conferatur civilitas horum verborum cum rusticitate prioris filii, ne nomine quidem dignantis eum, cum quo loquitur, patrem, sed protervè & superbè respondentis: *Nolo*. Quamvis vero hic posterior sive natu minor lingua fuerit laboriosus, opere tamen fuit ignavus & otiosus, *ὁ ἀπὸ θεοῦ, non tamen vitæ in vineam*, copulativa enim *καὶ* ponitur pro adverbativa *de*. Et quia de prioris filio dicitur, quod post primam recusationem pœnitentiâ postmodum ductus in vineam abierit; de hoc vero posteriore absolutè & simpliciter dicatur, quod non abierit, ex eo colligitur, quod non solum ad primam patris compellationem non abierit in vineam, ut eam coleret, sed nec postea fratris pœnitentis exemplum secutus fuerit, sed otiosus semper in domo manserit.

Huc parabolæ recitationi subjicit Christus. 3. quæstionem, quæ scopum parabolæ explicat: *Uter ex duobus fecit, quod voluit pater?* τίς ἐκ τῶν δύο, hoc est, *πότε*, uter ex duobus hæc filii in parabola propositis fecit τὸ θελημα, hoc est, mandatum & jussum patris: τὸ θελημα enim hic ponitur pro voluntatis objecto, sive pro re voluta, ut loquuntur, quod aliàs vocatur τὸ θελημα, quo sensu etiam usurpatur Matth. 7, 21. c. 12, 49. Marc. 3, 35. & alibi passim. Syrus habet vocem *בְּרִינָה* beneplacitum. Hanc quæstionem Christus non ideo solum proponit, ut scopum parabolæ explicet, sed etiam ut Sacerdotum judicium eliciat, & contra ipsos postmodum illud retorqueat. *Quos reos proponit*, inquit Chrysostomus, *illos ipsos in causa judices petit, ut à nullo mereantur absolvi, qui se ipsos condemnant*. Magna est fiducia justitiæ, ubi adversario ipsi causa committitur. Sequitur ergo 4. *Responsum Sacerdotum, Scribarum & Seniorum*: dicunt illi, *ὁ πρῶτος* prior, qui scilicet primum quidem mandato patris obœdire recusaverat, postea verò pœnitentiâ ductus in vineam abierat. Non dicebant, uti prius, *nescimus*, quia quivis ex populo præsentè potuisset judicium ferre de proposita quæstione. Nec recusabant responsum dare, quia nondum intelligebant, quorsum tenderet parabolica ista quæstio. Directè igitur, & rectè respondent: Primum illum sive priorem fecisse patris voluntatem. Uterque quidem inobœdiens fuit in principio, quamvis hanc inobœdientiam unus verbis profiteretur, alter hypocriticâ promissione tegeret, uterque primum recusavit voluntatem patris facere, non solum prior, sed etiam posterior, quia patrens non requirebat verbalem promissionem, sed realem in vinea operationem, quæ utrique primum defuit, interim tamen ex mandato patris judicandum, uter alteri præferendus sit. Qui propius huic mandato accessit, ille melior judicandus, hoc autem non posterior, sed prior fecerat. Rectè igitur judicant hi Proceres, nec poterant aliter in re manifesta judicare. Prior tardè quidem voluntatem patris fecit, posterior verò omnino non fecit; illi defuerunt verba, non facta, huic facta defuere, non verba. *Ecquis verò non malit,*

inquit Hilar. can. 21. in Matth. *negari sibi id, quod poscat, dummodo quod poposcerit, fiat, quam non fieri, quod spondeatur ut fiat, cum facti effectus ex desperatione sit gravior, sp̄s autem desit ut a plus delectat? nisi forte poscentium voluntas solâ sibi adulatione spondenti blandiatur*. Et paulo ante: *Hoc rerum ratio non patitur, ut simulata professio meritum perfectæ veritatis obtineat, ut plus sit se felisse spondentem, quam perfecisse omnia non pollicentem*. In quibusdam exemplaribus olim lectum fuit *ὁ δεύτερος* secundus, sive posterior, quam lectionem etiam lectus videtur Hilarius: sic enim habet d. loc. *Dicunt voluntati juniorem obœdisse, unde postmodum mirè sese torquet, ut ostendat, quo modo junior filius voluntati patris obsecutus fuerit*. Sed hæc lectio fuit potius depravatio quædam, quam verorum, & genuinorum exemplarium lectio. *Sciendum est*, inquit Hieronym. in c. 21. Matth. *in veris exemplaribus non haberi δεύτερον novissimum, sed primum, ut proprio judicio condemnetur*. (quomodo etiam habet Syrus *בְּרִינָה* primum.) *Si autem novissimum voluerimus legere, manifesta est interpretatio, ut dicamus intelligere quidem veritatem Judæos, sed tergiversari & nolle dicere, quod sentiant, sicut & Baptismum scientes esse de calo, dicere noluerunt*.

Antequam verò ad applicationem parabolæ in posteriore hujus pericopes parte propositam transitum faciamus, notandum in hac prioris parte, primò quidem *γενναίως*, conciones parabolicas insignem habere usum, eumque multiplicem, uti colligi potest ex causis superius enumeratis, propter quas Christus toties parabolico docendi genere uti voluerit. Cum primis verò hoc nomine parabolæ commendandæ, quod per eas peccata hominum, præsertim verò magnatum appositisimè perstringi possint, ut in applicatione ipsimet perferant, se suæque vitia parabolis illis notari, uti superius aliquot exemplis demonstratum fuit. Idem accidit hoc loco Sacerdotibus, quia illi apertè volebant respondere sapientiæ, ideo in parabolis capiuntur, ut loquitur Gregorius, & contra se ipsos proferunt damnationis sententiam. Requiritur autem in parabolis adhibendis, perinde ut in allegoriis, singularis prudentia, ut sint concinna, & ad propositum scopum accommodata, unde parabola definitur, quod sit similitudo seu comparatio, quæ res aliqua, ut gesta, appositè narratur, & ad rem spiritualem artificiosè accommodatur. Ejusmodi parabolæ sunt potissimum illæ, quibus Christus in Evangelica Historia usus legitur, in quibus singularis sapientia elucet. Salmerton. tom. 6. tract. 35. parabolam non inconcinnam Episcopis Pontificis inculcat, quam in gratiam eorum hic adscribere non gravabimur. *Episcopis*, inquit, *qui professionis suæ oblitæ ad aulas Principum, ad venationes & ad ludos accedunt, ibi diu immorantur, quandoque etiam quieti consenscunt, aut interdum neglectis curis spiritualium rerum temporalia munerata, & quæ sibi minime conveniunt, curant, idem evenit, quod plerunque pueris aut famulis nostris, qui negotii alicujus gratiâ à nobis aliquò destinantur, evenire solet*. Nam ejus mandati, quod à Domino suo acceperunt, oblitæ, & in platea novo aliquo, & vano spectaculo detenti, totum diem consumunt, nonnulli redeuntes vapulant, quod officio defuerint suo, & Domini sui mandatum neglexerint. In hunc ferè modum Episcopis accidit, qui dignitatis suæ & amplitudinis hono-

honore delimiti & divitiarum voluptatibus inescati officii sui omnino immemores redduntur, unde vitam in luxu & otio degunt, sed adventante morte cum se in domum recipere volunt, acerbis & aeternis suppliciis iusti à Domino plectuntur. Secundò quod in specie hanc ipsam parabolam attinet, illa gravissimis doctrinis est referta.

1. Per hominem intelligitur Deus, adumbratur enim hic, quid inter Deum & homines fieri soleat. Usitatum autem fuit Christo in parabolis appellatione hominis Deum denotare Matth. 18. v. 12. & 14. cap. ejusdem v. 23. & 35. cap. 20. v. 1. cap. 21. v. 33. c. 22. v. 2. &c. idq; tum propter Dei *Φιλανθρωπίαν*, ut notat Chrysofomus: quia enim homines amat, ideò hominis appellationem non renuit. *Homo est mansuetudine, non Naturà; similitudine, non veritate*, ait Autor imperf. oper. in Matth. homil. 40. tum propter Filii Dei *εἰσαρκίωσιν*, qui verus homo ex virgine natus est. Lyranus addit tertiam rationem, quia homo ad imaginem Dei factus. Appellatio ergo hominis Deo attributa insignem consolationem nobis suppeditat, ut dicamus cum Mose Deut. 33. v. 3. *Quantopere diligit homines? adeò ut non dubitet ab illis denominari.* Hebr. 2. v. 11.

2. Comparatur Deus non simpliciter homini, sed parenti filios habenti. Poterat Christus salvo parabolæ scopo ipsum vocare Dominum, & quos filiorum nomine designat, servos vocare poterat, quia Deus est omnium Dominus, & omnes sumus Dei servi: sed comparat eum potius Patri, primò propter paternam dilectionem. Dominus quandoque diligit servos, sed pater longè magis diligit filios. Ut ergo hic dilectionis affectus in Deo magis exprimeretur, ideò Pater vocatur Esa. 63. v. 16. *Tu, Domine, Pater noster es, Abraham nescivit nos & Israel ignoravit nos. Tu Domine Pater noster.* Sap. 11. v. 25. *Diligit omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Naturà Dominus est, benevolentia Pater, inquit Tertullianus. Secundò propter creationem, per quam dedit omnibus hominibus esse. Esa. 64. v. 8. *Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum, sicut noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Malach. 2. v. 10. *Nunquid non Pater unus omnium nostrum? nunquid non Deus unus creavit nos?* Tertio propter sustentationem, conservacionem, gubernationem & omnis generis beneficia in nos collata. Ut enim Pater non solum dat liberis esse, sed eosdem etiam nutrit & conservat: ita quoque id ipsum benignissimè Deus nobis præstat. Deut. 32. v. 6. *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui posedit te & fecit & preparavit te?* Quarto propter hereditatis æternæ oblationem, quia in verbo suam gratiam & cœlestem hereditatem omnibus offert. Ad has generales rationes, propter quas respectu omnium omnino hominum Deus vocatur Pater, accedunt postea speciales causæ, propter quas respectu credentium in Christum Pater dicitur, videlicet quia speciali dilectione ipsos complectitur, adoptat illos in filios & possessionem cœlestis hereditatis ipsis distribuit. Rom. 8. v. 17. Ideò etiam Patri sese comparat, ut innuat se magis velle amari à suis ut Pater, quam timeri ut Dominus, sicut Chrysofomus h. loc. inquit: *Quis est iste Pater, nisi ille Deus, qui omnes creavit? qui cum sit naturaliter Dominus, tamen magis vult diligi ut Pater, quam timeri ut Dominus.* 3. Quod parens dicitur accessisse filios, per quos in genere totum genus humanum intelligitur, eo ipso indicat Christus, Deum ex

immensa misericordia homines in vineam suam vocare, antequam ipsi de ea excolenda cogitent, unde Matth. 20. v. 1. dicitur *summo mane exire, ut operarios in vineam conducatur*, quos in foro stantes otiosos invenit. v. 3. Simul etiam innuit se verum Dei Filium è cœlo descendisse & humanam Naturam assumisse, inque ea opus redemptionis perfecisse, ut ex genere humano Ecclesiam sibi colligeret: hic enim finis incarnationis fuit, quod suo sanguine sibi vineam acquirere voluit, in quam homines vocarentur. 4. Per vineam intelligitur Ecclesia, cujus comparationis rationes complures in sequente parabola Christus exponit, nimirum quia Deus eam plantavit, sepe ei circumdedit, torcular in ea fodit, turrinam ædificavit, &c. neque quidquam, quod ad vineam custodiam, ornatum & fructificationem facere poterat, prætermisit. 5. Per duos hosce filios in vineam, ad eam colendam, abire iustos, in genere significantur omnes homines. Deus ergo ad omnes homines sic loquitur: *Fili, vade, operare in vinea mea.* Sicut Deus Abraham olim dicebat: *Egredere de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui.* Genes. 12. v. 1. ita ad unumquemvis dicit: *Exi è mundo per desideriorum mundanorum abdicacionem, exi à teipso per tui abnegacionem.* Totum genus humanam dividit in eos, qui sunt in Ecclesia; & eos, qui sunt extra Ecclesiam. Qui sunt in Ecclesia, illos vocat Deus per prædicationem verbi, cujus perpetua vox est. *Vade, o homo, operare in vinea Domini, noli otiosi, sed labora.* Operare non Satanæ, non mundo, non carni tuæ, sed Deo. Qui sunt extra Ecclesiam, illos vocat Deus per lumen Naturæ, per famam Ecclesiæ, per testimonium conscientiæ, &c. Omnes ergo in vineam suam vocat, & aliquid faciendum nobis injungit. Neque enim in suum commodum laborem à nobis exigit, cum sit *αὐταρκής* in seipso Psalm. 16. vers. 2. sed ut occasionem habeat nobis benefaciendi, & laborem nostrum remunerandi: nec præcipit tantum, ut operemur, sed etiam vires operandi concedit, quæ in parte à terreno parente cœlestis ille Pater noster differt. 7. Quamvis non addatur expressa promissio mercedis, tamen fideliter laborantes non defraudat mercede. Matth. 20. vers. 4. introducit Pater cœlestis, ut Dominus operarios in vineam suam conducens, ideò addit expressa promissio mercedis. *Quod iustum fuerit, dabo vobis:* hic vero introducit, ut pater filios ad laborem in vinea suscipiendum invitans: ideò non promittit explicitè & disertis verbis mercedem. Alia enim ratio est filiorum, alia vero mercenariorum servorum. Illis, utpote paternarum facultatum heredibus non promitti solet merces, his vero stipendium laboris penditur. Mone-mur igitur, quod ex filiali amore & obsequio in vinea Domini laborare debeamus ut dilecti filii, non intuitu mercedis, ut servi mercenarii. *Verà caritas mercenaria non est, quamvis merces eam sequatur*, ait Bernhard. tract. de dilig. Deo. 8. Multa sunt, quæ ad obœdientiam Deo præstandam invitare nos possunt, quorum omnium brevis

brevis summa comprehenditur in his verbis patris ad filios suos, quando dicit: *Fili, vade, operare hodie in vinea mea.* Primò moyere nos debet *Dei benignitas.* Præstitit nobis omnia, quæ à parentibus solent præstari liberis: cum ergo pater sit, æquum est, ut filiale obsequium ei præstemus. Secundò *filiorum proprietatem.* Malach. 1. v. 6. *Filius debet honorare Patrem.* Quia à patre accepit suum esse, ideò se totum patri debet. Tertio *temporis,* quo operandum, *brevitas.* Quid aliud hæc præfens vita æternitati comparata, quam dies unus? imò ne quidem unus, quia finiti ad infinitum nulla proportio. Quarto *laboris dignitas.* Dei vinea est, in quam mittimur, in qua laboramus; huic servire, regnare est. Quintò *premi largitas.* Laboramus ut filii, qui totam patris hereditatem tandem consequuntur, sic & nobis in celo reposita est *merces hereditatis.* *ἀποδοσις τῆς κληρονομίας.* Coloss. 3. v. 24. 9. Per primum filium generaliter denotantur omnes, qui peccant contra conscientiam, qui *resistunt Spiritui sancto.* Act. 7. v. 51. qui *spernunt consilium Dei adversus semetipsos.* Luc. 7. v. 30. dum Sanatæ persuasionibus seducti, ac mundi studiis & carnis cupiditatibus dediti, præcepta Dei præfractè transgrediuntur. Quid enim aliud est vita peccatorum, quam ejusmodi contumax responsum; Deo in verbo suo justitiam præcipienti datum: *Nolo in vineam abire? Nolumus hunc regnare super nos.* Luc. 19. v. 14. *Sermonem, quem locutus es in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro.* Jerem. 44. v. 16. & 17. 10. Multi quidem prætextu à peccatoribus afferri consueverunt, quibus hanc irreverentia & contumacia vocem excusant, utpote quod non suppetant vires faciendi illud, quod præcipitur, quod opus nimis durum ac laboriosum præscribitur, quod eadem videatur conditio laborantium & otiosorum &c. sed vera causa inobædientia latet in corde, uti denotatur per illud, quod contumax hic filius sine circuitione dicit, *nolo.* Ubi promta laborandi voluntas, ibi nihil grave, nihil molestum, nihil adversum; sed ubi illud nolle in corde dominatur, ibi undiquaque excusationes quaruntur. 11. Magna est Dei *Φιλανθρωπία*, quod non definit homines in vineam suam vocare, etiam si venire primum renuant. Præfiguratur in hoc primo filio divinæ vocationis communis eventus, quomodo à plerisque ea repudietur, plerique enim Deo vocanti tergum obvertunt, venire nolunt Matth. 22. v. 3. cap. 23. v. 37. excusationes frivolæ obvertunt Luc. 14. v. 18. ac tales per Naturam omnes sumus, utpote in peccatis concepti & nati, quinimò quidam etiam legatis Dei illudunt, 2. Paral. 36. y. 15. ac omnis generis mala ipsis inferunt Matth. 22. v. 4. neque tamen Deus propter hanc multorum ingratitude à vocatione penitus desistit, sed *totà die manus suas expandit ad populum inobædientem.* Esa. 65. v. 2. non cessat etiam resistentes & reluctantes vocare, monere, urgere, &c. ut mentem suam mutant & in vineam abeant. Illa enim contumacia & inobædientia filii *μεταμέλεια* ex iteratis & continuatis parentis admonitionibus fuit orta. Sic peccatorum pœnitentia non est opus naturalium liberi arbitrii virium, sed oritur ex prædicatione legis, quæ peccata arguere & damnare, hominesque sui officii admonere nunquam cessat. 12. Non est statim desperan-

dum de illis, qui sub initium prædicationis verbi sese immorigeros exhibent, cum exemplo primi hujus filii multi ex illis ad saniorē mentem postea redeant, & in vinea Domini strenuè laborent. Quemadmodum illi, qui ex vi morbi in phrenesin incidunt, multa indecore & faciunt & dicunt, quorum postea, cum ad saniorē mentem redeunt, ipsos pœnitet, pudet, piget: sic qui in peccatis suis hærent excecati, talia non solum verbis proferrunt, sed etiam vitæ expriment, quorum serià postmodum ducuntur pœnitentiâ, quando ex *Diaboli laqueis resipiscunt, à quibus captivi tenebantur ad ipsius voluntatem.* 2. Timoth. 2. v. 26. Proinde ministri Ecclesiæ perpetuò debent instare, prædicare verbum, acurere conciones legales, que sunt media illa, per quæ Deus ad pœnitentiā in cordibus peccatorum vult esse efficac, ad quas tum notitiarum naturalium facula, tum interius conscientia testimonium, tum quandoque etiam crucis flagellum accedit, ut ex veterno peccatorum & inobædientia homo tandem excitetur. 13. Non repudiatur obædientia filii, qui prius inobædientem sese præstitit, sed voluntatem Patris fecisse dicitur: sic non repellit Deus peccatores per veram & seriā conversionem ad se redeunt, Joh. 6. v. 37. quæ de re in applicatione parabola pluribus. 14. Neque tamen hac consolatione abutamur ad velum inobædientia nostra parandum; sed in vineam vocati promtè obsequamur, ac illo ipso, quo vocamur die, in vinea operari incipiamus. Fili, inquit pater, vade, operare hodie in vinea mea. Ergo hodie, si vocem Dei vocantis audiamus, non obturemus corda nostra. Psal. 94. v. 8. Hebr. 3. v. 8. cap. 4. v. 7. Nihil Deo magis adversum, nihil pietati magis noxium, quam procrastinatio. 15. In vinea Domini operari dicuntur non tantum Ecclesiæ ministri, in qua stricta & speciali significatione hæc phrasis in sequenti parabola usurpatur, sed omnes verè pii, qui ad Ecclesiæ consortium vocati Deo obædientiam præstant, & juxta statum ac vocationem suam ipsi servant. Qui alios ad pietatem exhortantur, ac *laborant in verbo & doctrina.* 1. Timoth. 5. v. 17. duplicem laborem in vinea Domini sustinent: nam & se & alios ædificant: sed nihilominus etiam illi in vinea Domini operantur, qui suæ duntaxat animæ diligentem curam gerunt, quamvis unumquemque nostrum caritas urgere debeat, ut non solum de sua, sed etiam proximi salute promovenda sit sollicitus. 16. Per filium secundum, qui verbis tantum promittit, se in vineam abiturum, reverà autem non abit, denotantur hypocritæ, qui ore Deo appropinquant, ac de pietate verbis multum gloriantur, sed *cor eorum procul est.* Esa. 29. v. 13; Matth. 15. v. 8. Marc. 7. v. 6. auditis Dei mandata, mox repondent: jube quod vis, non deerit, qui obtemperet: sed facta verbis non respondent, aliud sunt, aliud simulant, inquit Hieronym. in cap. 22. Matth. *Talis simulata sanctitas merito duplex nequitia censetur.* Origen. homil. 25. in Matth. *Hypocritis non est bonum; sed simulatio boni; nec justitia, sed signum justitiae; reipsa autem maxima iniquitas & pessimum malum.* 17. Hypocritæ & hoc loco & Matth. 7. vers. 21. sic depinguntur, quod ingemunt *Domine, Domine.* Non contenti sunt Deum Patris nomine compellasse, sed vocant ipsum Dominum, non tam ex sincera reverentia, quam propriæ dignitatis fiducia, quæ ex fastu, qui

qui cum hypocrisis semper conjunctus est, sese dignos aestimant, quos ille servitiis suis adhibeat, quinimo de suis servitiis coram Deo gloriari non erubescunt, *El. 5. v. 3. Quare jejunavimus, & non a-*
flexisti? Matth. 23. v. 12. Portavimus pondus diei, & a-
stum. Luc. 15. v. 29. Ecce tot annis servio tibi. Potest etiam
appellatio Domini hoc sensu accipi, quod
mercedem laboris sui à Deo exigant, cui scilicet tam
duriter ac fideliter servierint. 18. Patris cœlestis
voluntas non impletur verbis, sed factis Matth. 7.
v. 21. Non in verbis, sed factis res nostræ religionis confi-
sunt, ait Justin. in paræn. p. 25. inde mandata Dei
dicuntur via, quia per ea incedendum est pedi-
bis observationis. Deus magis respicit facta, quàm
verba; cor, quàm linguam, ac de hominibus ju-
dicat non secundum oris professionem, sed se-
cundum operum testimonium, proinde à Phylon
ἐργον κρείσσον ἀπὸ λόγου, ut loquitur Nazianzen.
ἡ δὲ πνευματικὴ πολιτεία οὐδὲ πρὸς τὰ μάλιν ἢ φερό-
σοδοταί, ait Isidor. Pelusota lib. 1. Epist. 14. Pul-
chrè Chrysofost. homil. 4. in 1. Timoth. Gloria
Deo non verbis redditur, sed operibus: quia & ipse nos non
verbis honoravit, sed rebus ac operibus: sic & nos per opera
ipsum honoremus. Quid autem sit Patris cœlestis vo-
luntatem facere, docet ipse Christus in applica-
tionem parabolæ, quando per primum filium os-
tendit denotari publicanos & peccatores, qui pœ-
nitentiam egerunt & Evangelio crediderunt. Ergo
Patris cœlestis voluntatem facere est pœni-
tentiam agere & Evangelio credere, ex quo post-
modum fructus bonorum operum pœnitentiâ
digni profuunt. 19. Luc. 15. v. 12. Christus mani-
nifestos peccatores notat per filium juniorem, ob
peccandi facilitatem, quæ ætati juniori propria;
hoc autem loco eos per filium natu majorem ac
primogenitum denotat, vel quia Naturâ per car-
nalem generationem omnes tales sumus, ante-
quam filii Dei per πάλιν γενέσθαι reddamur; vel
quia tales peccatores fiunt postea coram Deo pri-
mi, Matth. 19. 30. sicut contra hypocritas, qui vi-
dentur sibi coram Deo primi, fiunt novissimi; vel
quia major eorum numerus est, qui Deo vocanti
parere recusant, unde filio majori comparantur.
Atq; hæc est generalis applicatio hujus parabola-
læ, ut per filium primum in genere intelligantur
omnes manifesti peccatores, quorum vita nihil ali-
ud est, quam realis quidem clamor & confessio,
nolumus facere Dei voluntatem; per filium secun-
dum omnes hypocritas, qui verbis obœdientiam
Deo promittunt, opere autem nihil præstant, sive
sint ex Judæis sive ex Gentibus; sive ad V. sive ad
N. Testam. populum pertineant. Origenes tract.
18. in Matth. Tertullian. lib. adv. Judæos. Athanasius
in disput. contra Arium in Concil. Nic. & q. 39.
Chrysofost. homil. 68. in Matth. Hieron. Euthymius,
Anshelmus, Lyranus in cap. 21. Matth. specialiter
per filium primum intelligunt Gentiles, per filium
secundum populum Judaicum. Gentiles volunt
propterea denotari per filium natu majorem,
quia populus Gentilis cœpit à Noacho; Judæos
per filium natu minorem, quia populus Judaicus
cœpit ab Abrahamo vel ab Heber, unde dicti
sunt Hebraei, qui Heber fuit posterior Noacho.
Utrumq; populum Deus vocavit in vineam suam,
Gentiles per lumen Naturæ, Judæos in super per
verbum & lumen gratiæ. Gentes à prin-
Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

capio relinquentes Deum & justitiam ejus, & trans-
euntes ad idola & peccata, in cogitationibus suis re-
spondere videntur, nolimus facere justitiam. Ju-
daicus populus, hoc est, minor filius interrogatus,
& per Moysen & per Johannem, quasi Deo per eos
loquenti spondit se omnia facturum, quæcunq;
Deus præceperat, Exod. 19. v. 8. cap. 29. v. 13. sed
labiis tantum Deum honoravit. *El. 23. v. 19. mentiti enim*
sunt Deo, non custodierunt testamentum Dei, & in lege ejus
noluerunt ambulare. Ps. 78. v. 10. putabant qualicun-
que externâ obœdientiâ legi divinæ satisfieri, &
repudiabant Christum, qui est finis legis ad justitiam
omni credenti, Rom. 10. 4. inde sectando legem justitiæ ad
legem justitiæ non pervenerunt, cap. 9. v. 30. Contrâ verò
Gentiles Evangelii prædicationem & Christum
fide receperunt, sicq; in vineam Domini, hoc est,
Ecclesiæ confortium asciti, fructus bonorum o-
perum Deo gratos protulerunt; quorum exem-
plum debuissent Judæi imitari, pœnitentiam a-
gere & credere Evangelio, sed in sua crudelitate
& impœnitentia obstinati manserunt. Quamvis
verò hic non sit principalis hujus parabolæ scopus,
ut per duos hosce filios populus Gentilium & Ju-
dæorum præfiguretur: constat enim ex subjecta
parabolæ applicatione, Christum per filium primum
publicanos & meretrices, h. e. peccatores pœni-
tentiam agentes, & Baptismum Johannis reci-
pientes, per filium autem secundum Sacerdotes, Scri-
bas & Seniores Johannis Baptismum repudiantes
proprie & principaliter hic intelligere, unde Hiero-
onym. d. l. subjungit: Alii dicunt non Gentilium & Ju-
dæorum esse parabolam, sed simpliciter peccatorum & justo-
rum, ipso quoq; Domino propositionem suam postea differente:
Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos
in regnum Dei, eo quod illi, qui per mala opera Deo se ser-
vire negaverant, postea pœnitentiæ Baptismum acceperunt,
Pharisæi autem, qui justitiam præferebant, & legem Dei se
facere jactabant, Johannis contempto Baptismo Dei præcepta
non fecerunt; ac Autor operis imperf. in Matth.
hom. 40. huic expositioni de Judæorum & Gentili-
um populo subjicit: Videtur mihi aliquid huic exposi-
tionis, quàm multorum traditionem sequentes proposuimus,
contrarium. Si enim verè hi duo filii Gentiles & Judæi es-
sent intelligendi, postquam Sacerdotes interrogati respon-
derunt, priorem filium voluntatem patris fecisse; concludens
Christus parabolam, sic debuit dicere: Amen dico vobis, quia
Gentes præcedunt vos in regnum Dei: nunc autem dicit,
quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei,
quod magis prophanorum hominum conditionem ostendit,
quàm Gentium statum, &c. illa tamen applicatio non
debet simpliciter repudiari, videntur enim pub-
licani & meretrices Gentilium; Sacerdotes verò,
Scribæ & Seniores Judæorum imaginem ges-
sisse ac Luc. 15, 11. & seqq. Christus simili quadam
juniore & senioris filii parabolâ conditionem.
Gentilium & Judaici populi exprimit; interim
tamen observetur regula Chrysofost. hom. 65. in
Matth. & hom. 16. in Epist. Rom. quam repetit Da-
masc. lib. 3. orth. fid. c. 26. Ne nimia in applicatione sin-
gularum partium curâ angamur, sed scopum duntaxat res-
piciamus. Id. Autor op. imperf. per primum filium in-
telligit Laicos, per secundum verò filium Sacerdotes.
Ostendit (inquit) Christus per hanc parabolam, quo-
niam meliores sunt populares, qui à principio secula-
rem & carnalem profitentur vitam, quam Sacerdo-
tes, qui ab initio profitentur se Deo servire, quoniam
popula-

populares quidem vel satiati actibus suis malis, aliquando compuncti convertuntur ad Deum, & incipiunt operari iustitiam Dei: Sacerdotes autem impenitentibus constitui nunquam desunt peccare in Deum &c. Duos ergo filios dicit Laicorum conditionem & ordinem Sacerdotum. Quis est prior filius? popularis, qui regunt populum. Populares per hoc ipsum, quod secularem suscipiunt vitam, denegare videntur obedientiam Deo: Sacerdotes autem magis videntur obedientiam promittere Deo, præcipue per hoc ipsum, quod specialiter in ministerio Dei constituuntur. Nam qui doctor populi constituitur, sine dubio proficitur se talem fore, qualem esse oportet doctorem, &c. Melior est Laicus, qui in prima facie secularem vitam proficitur, revera autem complectitur spirituales, quam Sacerdos, qui in prima facie proficitur vitam spiritualem, revera autem amplectitur vitam carnalem. Et melior est Laicus ante Deum penitentiam agens, quam Clericus permanentes in peccatis, &c. Secularis homo post peccatum facile ad penitentiam venit, nam occupatus negligentia seculari, dum Scripturis non satis attendit, semper ei, quæ in Scripturis posita sunt, nova videntur, ideoque cum audit aliquid de gloria Sanctorum, aut de pena peccatorum, quasi novum aliquid audiens expavescit, cumq; aut bona concupiscit, aut mala timet, compunctus ad penitentiam citò decurrit. Nihil autem impossibile, quam illum corrigere, qui omnia scit, & tamen contemnens bonum diligit malum. Omnia enim, quæcunque sunt in Scripturis, propter quotidianam meditationem ante oculos ejus imeterata, & vilia estimantur. Nam quicquid illic terribile est, usu vile fit. Proprieta Clericus, qui semper meditatur Scripturis, aut omnino observaturus est, & erit perfectus, aut si semel ceperit illas contemnere, nunquam excitatur in illis, ut timeat. Quis aliquando vidit Clericum citò penitentiam agentem? Sed etsi deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet, quia peccavit, sed confunditur, quia perdidit gloriam suam. Hæc applicatio non est incongrua, cum Christus ipse hanc parabolam contra Hierosolymitanos Sacerdotes direxerit, ac per eos ipsos publicanis & peccatoribus notioribus peiores esse ostenderit. Ita enim in posteriore hujus pericopes parte se habet Christi applicatio.

Dicit illi Jesus: Amen dico vobis, publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei. Postquam Christus proprium suorum adversariorum iudicium, & quidem verissimum ex ipsorum ore elicitum, jam demum seipsum parabolæ explicat, ac responsum eorum sic probat, ut illud in ipsos retorqueat, sicque proprio illos iudicio condemnet. Applicatio talis est. Sicut prior, sive natus major filius, qui primum quidem in vineam abire & patris mandato obsequi recusavit, postea verò penitentia ductus in vineam abiit, præferendus est filio posteriori, sive minori, qui promissit quidem se in vineam abiturum, sed promissis suis minime stetit: sic publicani & meretrices mandatis divinis contumaciter primum reluctantes, postmodum verò per seriam penitentiam ad Deum revertentes præcedunt vos in regno Dei, qui verbis quidem de obedientia mandatorum divinorum gloriamini, sed reipsa interim Dei consilium de salute vestra repudiatis. Præmittit autem Christus 1. gravem asseverationem: Amen dico vobis. Quia confiteri non vul-

tis, Johannis Baptismum fuisse cælo, vosque gravissimè peccasse, quod non receperitis doctrinam & Baptismum Johannis, eni ego, qui sum Ecclesia doctor divinitus constitutus, vobis sine ulla circuntione dico, quod publicanis & meretricibus longè peiores sitis. Videbantur sibi primi in regno Dei, ideo Christus gravi illa asseveratione utitur, confirmans illud, quod ab ipsorum, imò & multorum ex populo opinione erat alienissimum. Secundo subjicit ipsam accusationem: Publicani & meretrices præcedunt vos in regno Dei, hoc est, si vestro ipsorum iudicio non posterior, sed prior filius voluntatem patris fecit, utique etiam publicani & meretrices voluntatem Dei faciunt, vos autem eam non facitis, proinde illi præcedunt vos in regno Dei, eò quod priori filio similes, postquam ad tempus Deo obædire recusaverunt, tandem penitentia vitæ male actæ ducti obtemperant, vos autem nihilis promissis verbalibus contenti, posteriori filio similes, nunquam obtemperatis. Per publicanos & meretrices, ovædovos notorii & publicè infames peccatores, flagitiis manifestis immergi, denotantur: solent enim Hebræi ex una specie totum genus describere. Publicani ob fraudes, rapinas & avaritiam, omnibus erant odio, cum primis verò Judæis, quia ob questum Romanis à populo Dei alienis in exactioibus, & patriæ libertatis oppressionem sese ministros præbebant, ac prophanis gentibus contra populum Dei operam suam locabant, neque vectigalibus ordinariis contenti erant, sed novas subinde artes viatores & negotiatores expilandi excogitabant. Meretrices questum corpore facientes ob vitæ turpitudinem infames erant, quibus locum in populo suo dari diserte Deus prohibuerat, Deut. 23, 17. Chrysostr. homil. 68. in Matth. Extrema hæc utraq; delicta ex concupiscentia ferventi, alterum corporum, alterum pecuniarum oriuntur. Autor op. imperfect. homil. 40. Puto, quod ex persona omnium virorum peccatorum publicani ponuntur, & ex persona omnium mulierum peccantium meretrices, quoniam quævis multa sint peccata in viris & mulieribus, præter ista tamen præcipue in viris avaritia abundat, fornicatio autem in mulieribus. Mulier, quamvis possit esse avara aut superba, tamen non facile per avaritiam aut superbiam peccat, quoniam non habet facile honores, pro quibus avaritiam exerceat, aut sit superba inter eos, cum quibus conversatur, ut in superbia peccet, quæ in domo sua sedet inclusa. Ideò autem facile peccatum fornicationis incurrit, maxime quia hoc vitium facile ex vacantia & otio nascitur. Nam qui sollicitudinibus animum habet occupatum, non facile fornicationi operam dat: definitio enim amoris hæc est, quod sit anima vacantis passio. Vir autem, quoniam in actibus rerum diversarum est assidue, in avaritia peccatum incurrit, in fornicationem autem non facile, nisi forte multum sit lascivus. Nam occupatio virilium sollicitudinum suggestionum voluptates plurimum excludit, unde proprium hoc est adolescentium nihil agentium. Per regnum Dei quidam intelligunt regnum gratiæ, quo sensu hæc vox accipitur Matth. 3, v. 2. cap. 6, 33. c. 13, 41. &c. Sensus igitur foret, quod publicani & meretrices promtiores sint ad recipiendâ doctrinam Evangelii, per quod Deus regnat in cordibus credentium. Johannis prædicatio sic describitur Matth. 3, 2. Penitentiam agite, appropinquavit enim regnum celorum: dicuntur igitur publicani & meretrices præ-

præcedere Sacerdotes in regno Dei, quia prædicationi Johannis fidem habentes penitentiam egerunt. Quidam verò per *regnum Dei* intelligunt *regnum gloriæ*, quo sensu hæc vox accipitur Matth. 5. v. 20. cap. 7. v. 21. cap. 8. v. 11. &c. quâ ratione hic foret verborum Christi sensus, publicani & meretrices aliquando regni & gloriæ cœlestis erunt participes, (unde Erasmus reddidit in futuro, *præcedentem*) intelliguntur enim ejusmodi publicani & meretrices, non qui tales adhuc sunt, sed qui tales olim fuerunt, juxta quam phrasin Matth. 11. v. 5. *cæci dicuntur videre, claudi ambulare, surdi audire, &c.* Sed potest utraque significatio optimè conjungi. *Præcedunt vos Publicani & meretrices* in Ecclesia militante per penitentiam & fidem; in Ecclesia triumphante per gloriam, quia regnum gratiæ sive Ecclesiæ in his terris est quasi *αἰὲς ὑποῦν καὶ πρῶτον* ad regnum gloriæ sive in Ecclesiam triumphantem. Qui in hac vita est verum veræ Ecclesiæ membrum, & in vera fide usque ad finem perseverat, is aliquando erit membrum Ecclesiæ triumphantis, & hæres regni cœlestis. Quidam addunt tertiam significationem, quâ *regnum Dei* accipitur pro ipso Christo, quo sensu intelligunt dictum Matth. 12. 27. *Si in Spiritu Dei ejectionem demonia, regnum Dei pervenit ad vos.* Dicerentur igitur publicani præcedere Sacerdotes in regno Dei, quia in agnitione Christi eos præcedebant, ac pro Messia eum recipiebant, quem Sacerdotes repudiabant. Sed regnum Dei distinctum est à Christo regni illius auctore & datore, ac proinde significatio hæc non est satis commoda. Tostatus per *regnum cœlorum* *μετανοητικῶς* intelligit merita, quibus pervenitur in regnum cœlorum, ut sit sensus: *præcedunt vos in regnum cœlorum, in e. habent majora merita ad vitam æternam, quam vos.* Sed & merita & significatio illa regni cœlorum Script. Sacre penitus sunt ignota, potius enim ex pumice aquâ, quam ex loco Joh. 17. v. 3. quem Tostatus adducit, significationem illam quispiam elicere poterit. Quod autem publicani & meretrices dicuntur Sacerdotes & Scribas *πρῶτον*, sive *præcedere in regnum Dei*, id quidam accipiunt *potentialiter*, quod possint ipsos antevertere, quo sensu videtur Lutherus in Germanica versione hanc phrasin expressisse: *Die mögen wol the ins Himmelreich kommen denn ihr: addit enim in glossa marginali: longè possibilis est meretrices & notorios peccatores salvari, quam superbos sanctulos: illi enim tandem coguntur sentire sua peccata, hi verò in persuasionem propriæ sanctitatis moriuntur, nisi mirabili modo convertantur.* Sed ex subjecta ratione apparet, de actuali, ut sic loquar, præcedentia hæc verba commodius accipi, dicuntur enim publicani & meretrices Johannis prædicationi fidem habuisse, & penitentiam vitam flagitiosam egisse: jam verò, qui penitentiam agunt & credunt Evangelio, illi reverentia & actu sunt cives regni gratiæ, & in fide perseverant, hæres regni gloriæ. *πρῶτον* aliquando significat *deducere, producere*, in qua significatione accipitur Sir. 20. 27. Act. 16. 30. c. 25. 26. posset igitur sic intelligi, quod publicani & meretrices exemplo suo deducant Sacerdotes in regnum cœlorum, sicut statim additur: *Publicani & meretrices crediderunt Johanni, vos autem cum vidissetis, non fuistis (ipsorum exemplo) ad penitentiam permoti, ut crederetis ei.* Significat etiam *πρῶτον* antecellere, præstantior em esse, in qua significatione etiam Latini utuntur verbo *anteire*. Posset igitur etiam hæc signifi-

Harm. II. Tom. II. vel Gerbard. Contin. pars prim.

ficatio huc accommodari. Publicani & meretrices vobis longè præstantiores & meliores sunt, quam vis vobis primi in regno Dei videamini. Sed quia additur *eis τῶν βασιλείων*, ideo simplicius est vulgatam verbi *πρῶτον* significationem, quâ usurpatur pro *præcedere, præire*, hic retinere, quo sensu accipitur Matth. 2. 9. cap. 14. 22. cap. 26. 32. Marc. 10. 32. &c. Syrus habet verbum *ἔτι* *præcessit, antecessit, anteverit*, Ps. 68. 26. Matt. 26. 32. statim enim sequitur, quod *Johannes ad eos venerit in via justitiæ*: tibi ergo debuissent Sacerdotes Johannem via ducem sequi, & publicanos ac peccatores præcedere: sed mutata rerum serie factum est, ut publicani & peccatores ipsos potius præcederent. Quia verò postea additur, quod *non fuerint permoti publicanorum resipiscientium exemplo, ut ipsi quoque penitentiam agerent*, dubium videri potest, quare publicani & peccatores ipsos dicantur præcedere? Quidam putant, Christum eò respicere, quod post effusionem Spiritus S. *turba multa Sacerdotum fidei obædierit*, Act. 6. v. 7. sed quia incertum est, an in eorum cœtu fuerint hi Sacerdotes, Scribæ & Seniores, quos Christus hoc loco negat exemplo publicanorum ad penitentiam permotos, ideo rectius statuitur, quod publicani & meretrices sensu eò dicantur præcedere Sacerdotes, quia cessantibus & recusantibus Sacerdotibus ipsi properent ad regnum Dei, atq; exclusis Sacerdotibus in illud intromittantur, ut ex sequentibus manifestè colligitur. Quemadmodum enim *primogenitus dicitur non solum is, qui inter fratres reliquos natus primus est, sed etiam is, ante quem nullus natus, quamvis post eum nemo nascatur*, ut monet Beda in cap. 2. Luc. ita quoque *præcedere* dicitur, non solum quem alter sequitur, sed etiam is, qui alteri suo exemplo præit, & neminem se præeuntem habet, quamvis alii ipsum non sequantur. Qui primi veniunt, tempestivè scilicet solent intromitti; qui verò tardè, illi excluduntur Matth. 25. 11. id eò autem Christus utitur verbo *πρῶτον*. 1. Quia publicani & meretrices videbantur à regno Dei maximè elongati, adeoq; *novissimi*, contra verò Sacerdotes sibi persuadebant se in eo esse *primos*, imò se aliis esse duces itineris ad regnum Dei, nec passim fuissent æquo animo, sibi quenquam etiam sanctissimum conferri. Sed Christus non confert, sed præfert illis, non promiscuam plebem, sed publicanos & meretrices, hoc est, notorios peccatores publicis flagitiis infames, qui nullum planè locum in regno Dei habere videbantur, nisi mirabili modo vix poterant hi sanctuli tolerare, unde toties Christum acculabant, quod cum *publicanis & peccatoribus cibum caperet*, Matth. 9. 11. Luc. 15. 7. quodq; famosas mulieres in conspectum suum admitteret, Luc. 7. 39. ut larvam sanctitatis illis detraheret, ac omnibus manifestum faceret, ipsos nihil minus esse, quam quales haberi volebant, religiosos scilicet divinæ voluntatis observatores. 2. Ut tacitè innuat, ipsos non simpliciter & assoluto quodam decreto à regno Dei exclusos esse, sed pateri ipsis adhuc januam regni cœlorum: id eò enim dicuntur manifesti peccatores ipsos *præcedere*, quia per penitentiam eos in hac vita adhuc poterant & debebant sequi. Debuissent igitur sancto quodam zelo dolere, illos præcedere, quibus suo exemplo prælucere debebant, ut hac ratione etiam ipsi introirent. 3. Ut viam ipsis monstraret, cui insistere debeant, si regnum cœlorum ingredi velint, vide-

D d 2

vide-

videlicet quod exemplum publicanorum & peccatorum, qui via illius bonam partem jam confecerant, sequi debeant, ac pœnitentiã prioris vitæ errata corrigere, sed quia viam planè ad veram ac contrariam pertinaciter tenebant, inde mirum non est, à regno cœlorum ipsos fuisse exclusos.

Tandem 3. subjicit Christus *rationem*, quare dixerit, quod publicani & meretrices ipsos præcedant in regnum cœlorum: *Venit enim ad vos Johannes per viam justitiæ & non credidistis ei; publicani autem & meretrices crediderunt. Vos autem cum vidissetis, non fuistis commoti pœnitentiã postea, ut crederetis ei.* Noverat Christus, sibi negotium esse cum superbis & pertinacibus hypocritis, qui reprehensionis sunt impatientissimi, ideo quod dixerat, evidenti argumento confirmat. *Venit Johannes*, non privato ausu & arbitrio, sed missus à Deo, Joh. 1. v. 6. Post alias Dei admonitiones in verbo vobis propositas, post invitationes per varia Dei beneficia, post excitationes per varias plagas, quibus ad obœdientiam mandatis divinis præstandam sapius moniti estis: *venit tandem Johannes*, prædicans, propinquum esse regnum cœlorum, Messiam olim promissum jamjam adventare, ideoque agendam esse pœnitentiã, & suscipiendum Baptismum, ut hac ratione Messia in cordibus hominum via paretur per veram pœnitentiã & fidem in Messiam. Poterat Christus seipsum proponere majori omnino ratione, quia longè majus erat, Messiam Dei Filium ipsum venire, quàm Johannem Messia præcursorem & servum venire, sed quia Sacerdotibus erat exosus, ideo Johannem in medium adducit, ad quem legatione missa honorem Messia ipsi obtulerant Joh. 1. v. 20. & in *cujus luce ad tempus exultare desideraverant*, cap. 5. v. 35. tacitè simul inueniens, pertinaciam ipsorum, quæ se verum Messiam repudient, ac auctoritatem suam in dubium vocent, non esse novam, cum Johanne prædicante eandem demonstraverint. *Venit ad vos*, specialiter tanquam ad capita & primates populi Israelitici missus. Quidam illud sic accipiunt, venit ad vestram utilitatem, venit vobis, &c. sed interim non negandum, quod verè etiam ad ipsos venerit, quia omnibus audire volentibus in Judæa prædicaverat. Loquitur autem in indefinito vim præteriti habente *ἦλθε*, quia Johannes cursum ministerii sui consummaverat, haud ita pridem ab Herode è medio sublatus. *Venit in via justitiæ.* Quidam illud accipiunt de vita Johannis, hoc sensu. Venit ad vos vitæ & moribus integer, in quo nihil jure reprehendi posset, venit vitam degens justam ac irreprehensibilem, quæ satis declaravit se esse à Deo missum, quaq; magnam apud omnes auctoritatem sibi conciliavit. Hæc interpretatio probari potest; 1. ex phrasi Hebraica. Hebræis enim *via* pro moribus seu instituto vitæ accipitur. Gen. 6. v. 12. Num. 22. v. 32. Deut. 28. v. 29. &c. Sic ergo subintelligendum esset participium aliquod, *venit ad vos in via justitiæ*, scil. incedens vel ambulans, hoc est, agens vitam justam & inculpata, ab omni vitio alienam. 2. Ex collatione loci paralleli, Matt. 11. v. 17. *Venit ad vos Johannes, nec manducans, sc. vulgares cibos, nec bibens sc. vinum, sicque doctrinæ de pœnitentiã convenientem vitam ducens.* 3. Ex contextu. Ideo enim Christum mentionem facere videtur sanctæ & inculpata vitæ, quam Johannes duxit, ut inexcusabilis pertinaciæ Sacerdotes con-

vincat, quod noluerint Johanni credere, cum tamen in ipsius studiis & actionibus nihil jure reprehendere potuerint, cumq; hac vitæ integritate satis demonstraverit, se à Deo missum esse. 4. Ex versione Syriaca. Syrus enim reddidit, *venit ad vos per viam justitiæ* scil. incedens, vivebat secundum justitiã, Theophyl. in comm. venit *ἐν ἀμεμπτοῦ βίῳ*. Quidam contra exponunt de prædicatione & doctrina Johannis. *Venit ad vos in via justitiæ*, hoc est, rectam vobis monstrans viam, quæ ad justitiã & vitam pervenit. Hæc interpretatio probari potest, 1. ex phrasi Hebræa. *Via enim justitiæ* apud Hebræos interdum significat viam, quæ ducit ad justitiã, Prov. 8. v. 20. 1. Petr. 2. v. 20. sicut *via vitæ* est, quæ ducit ad vitam, Prov. 10. v. 17. Jerem. 21. v. 8. *via pacis*, quæ ducit ad pacem & tranquillitatem conscientia. Esa. 59. v. 8. Luc. 1. v. 70. Rom. 3. v. 17. *via salutis*, quæ ducit ad salutem, Actor. 16. v. 17. 2. Ex collatione locorum, Matth. 22. v. 16. Marc. 12. v. 14. Luc. 20. v. 21. ubi Pharisei ad Christum dicunt: *Viam Dei in veritate doces*, hoc est, monstras viam, quæ ducit ad salutem Dei cognitionem, & vitam æternam. Ita quoque Johannes *venit per viam justitiæ*, hoc est, monstravit viam ad veram justitiã & salutem. 3. Ex re ipsa. Verè enim Johannes monstravit viam, quæ ducit ad justitiã, prædicando pœnitentiã, monstrando Christum, quæ est vera *via*, Joh. 1. v. 6. & nostra coram Deo *justitiæ*, Jerem. 23. v. 6. admonendo, ut facerent homines fructus pœnitentiæ dignos, Matth. 3. v. 8. 4. Ex contextu. Statim enim sequitur, *& non credidistis ei*, hoc est, nolistis ejus doctrinam recipere, quæ viam justitiæ & salutis vobis monstravit. Sic ergo *ἐν ὁδῷ* accipiendum esset positum pro *eis ὁδῷ*, ut sit sensus, Johannem venisse, qui eos in viam justitiæ induceret. Beda in h. l. *Viam justitiæ prædicans Johannes venit, quia Christum, qui consummatio Legis & Prophetarum est, adesse digito demonstravit.* Lyranus: *Venit in via justitiæ, quia Christum annuntiabat, qui est ipsa justitiæ sempiterna.* Gloss. interlin. *Venit in via justitiæ scilicet prædicata.* Potest igitur utraque explicatio conjungi, cum utraq; & phrasi & fidei analogiæ & contextui sit conformis. Venit ad vos Johannes docens veram viam justitiæ & vitæ, & simul justè ac inculpata vivens, a deoque & verbo & exemplo justitiã docens. Tostatus sic accipit, quod Johannes *prædicaverit mandata justitiæ, quæ obligamur facere, cum Christus prædicaret gratiam.* Sed uterque in suo ministerio, & gratiam & mandata justitiæ prædicavit, neuter ex operibus propria justitiæ salutem sperandam esse docuit. *Et non credidistis ei: ἔτι* ponitur pro *ἔτι*, copulativa pro adversativa, annectitur enim præcedentibus per oppositionem: *Sed non credidistis ei, non tamen credidistis ei.* Multa autem complectitur Christus, quando negat Sacerdotes Johanni credidisse. 1. Non crediderunt agendam esse pœnitentiã, sicut statim sequitur: *Cum vidissetis, non fuistis commoti pœnitentiã postea, ut crederetis ei.* 2. Non crediderunt suscipiendum esse Baptismum, sed spreverunt consilium Dei adversus semetipsos non baptizati à Johanne, Luc. 7. v. 30. 3. Non crediderunt Messiam in propinquo esse, nec eum, quem digito demonstrabat, pro Messia recipere voluerunt, sed modis omnibus sese illi opposuerunt. 4. Non crediderunt faciendos esse fructus pœnitentiæ dignos. Gloriabantur se esse Abraham filios, ideoq; concionem de ira judicis & excisione infrugiferæ arboris

arboris ad se nihil pertinere existimabant Matth. v. 9. 10. obstinati erant in sua hypocrisis, impoenitentia & incredulitate. Potuisset eos similiter accusare, quod legem Moysi non servaverint, Act. 7. v. 53. quodque sibi vero Messiae, & Dei Filio non crediderint, sed de Johannis doctrina repudiata potius, quam de lege Dei violata, aut de suae praedicationis contemtu eos redarguit, tum quia in transgressione legis publicanis, & populo pares erant, tum quia externa sanctitatis specie sese justos venditabant, tum quia de Johannis Baptismo proximè actum fuerat. *Publicani autem & meretrices crediderunt illi*; non solum alii, sed etiam infames peccatores publicani & meretrices praedicationi Johannis fidem habuerunt, ac fecerunt, quod docuit, egerunt poenitentiam vitam male prius acta, susceperunt Johannis Baptismum, crediderunt in Messiam exhibitum, & coeperunt facere fructus poenitentiae dignos. Congruit hoc cum descriptione ministerii Johannis, Matth. 3. 5. *Exibat ad Johannem Ierosolyma, & omnis Judaea, & omnis regio circa Jordanem.* v. 6. *Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata.* Marc. 1. v. 5. idem repetitur. Luc. 3. v. 7. *Turba exibat, ut baptizarentur à Johanne.* v. 12. *Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur.* v. 21. *Factum est, cum baptizaretur omnis populus.* Luc. 7. v. 29. *Omnis populus audiens, & publicani iustificaverunt Deum baptizati baptismo Johannis.* Nec poterant Sacerdotes negare, Johannem fuisse ab universo populo Prophetam habitum, unde non audebant dicere, *Baptismum Johannis fuisse ab hominibus, id est, humanam duntaxat auctoritate introductum.* Per consequens igitur non poterant negare, se non credidisse Johanni, publicanos autem & meretrices ipsi credidisse. Haec reprehensio iustissima erat & gravissima, sed ut pertinetiam Sacerdotum magis arguat, subiungit: *Vos autem cum vidissetis, non fuistis commoti poenitentia postea, ut crederetis ei: id est, scilicet, & quoniam hoc vidistis, & μετμεληθητε, subintelligendum ομως, non tamen poenitentia ducti estis.* Quidam hoc referunt ad Johannem. Cum vidissetis inculpam Johannis vitam, & mores sanctos, ipsius in docendo *μαρτυροῦμαι*, in me confitendo constantiam, mortem pro confessione veritatis patienter toleratam, & publica totius populi de ipso iudicia, non tamen *ὑστερον*, hoc est, post ejus mortem & sub meam praedicationem miraculis abundè confirmatam, me perficiente ea, quae Johannes bene coeperat, ad saniorum mentem rediistis; sed ut Johanni, ita quoque mihi, meaeque doctrinae omnem fidem derogastis. Verum rectius ad exemplum publicanorum & meretricum, cujus in proximè praecedente membro fit mentio, hoc refertur. Cum subitam & miraculo simile plurimorum etiam pessimorum conversionem vidissetis, non tamen permoveri potuistis, ut in hoc conversionis opere Dei consilium & manum agnosceretis, eosque in regnum Dei intrantes sequeremini, quos ratione status & officii debetis praecedere, sicque nec Johannis vita, nec peccatorum conversio ad poenitentiam vos adducere potuit, quod extrema malitia & pertinacia est argumentum. *Perspicite oro*, ait Chrysostomus homil. 68. in Joh. *quos laus illorum (peccatorum) & quot accusatio istorum (Sacerdotum) cre-*

Harm. Tom. II. vel Gerb. Contin. pars primæ.

*scat argumentis. Venit Johannes non ad illos, sed ad vos; venit in via iustitiae, nullo enim jure potestis cum criminari, nec dicere unquam audebitis negligentem illum aut inutilem fuisse. Et tamen non credidistis ei, hac re ipsi scandalizati non sunt; crediderunt illi, vobis hac res non profuit. Illud aliud crimen vestrum est, quia publicani illi attendunt, & rursus aliud, quia cum debuissetis vel ante publicanos credidisse, vos nec post illos quidem voluistis, quod sicut omni vos venia privat, & accusationem vestram amplificat, sic eximia illorum laus est. Sic ergo in cordibus ipsorum proprio conscientiae testimonio eos convincit, quod similes sint filio posteriori in parabola proposito, qui verbis quidem promittebat, se in vineam iturum, re ipsa verò nihil praestabat, nec exemplo filii prioris permoveri se patiebatur, ut in vineam abiret. Hilarius can. 21. in Matt. aliter applicat, ac publicanos & meretrices filio posteriori; Sacerdotes verò priori filio comparat. *Primus Filius*, inquit, *est populus ex Pharisaeis in praesens à Deo per Johannis prophetiam, ut praeceptis suis obtemperaret, admonitus. Hic insolens, & inobediens, & dicitis praesentibus contumax fuit, habens in lege fiduciam, & poenitentiam peccatorum, gloriae praerogativa ex Abraham nobilitatis, aspernans, qui deinceps operum miraculis post Domini resurrectionem poenitens sub Apostolis creditus. Facti fide ad voluntatem Evangelicae operationis regressus, anterioris insolentiae culpam poenitendo confessus est. Filius autem minor, plebs est publicanorum & peccatorum, ipsa peccati, in qua tum demorabatur conditione posterior, cui praeceptum sit per Johannem, ut à Christo expectaret salutem, & ab eo baptizata crediderit. Sed quod ait, spondidisse eam ituram se, & non isse, ostendit credidisse eam quidem Johanni, sed quia Evangelicam accipere doctrinam, non nisi post passionem Domini per Apostolos potuit (tum enim erant humanae salutis Sacramenta peragenda) non isse eam significat. Denique non ait noluisse, sed non abuisse. Rex extra culpam infidelitatis est, quia in facta erat difficultate, ne fieret. Non igitur ire statim ad opus, quod praeceptum est, noluit: sed quia iri non poterat, non iit. In eo enim necessitatis mora sine crimine voluntatis ostenditur. Et in responsione quidem Pharisaeorum quaedam est necessitas prophetiae. Nam invitati licet confitentur, quis obsecutus sit voluntati, junior scilicet filius, obediens professione, licet non efficiens in tempore, quia fides sola iustificat. Atque ideo publicani & meretrices in regno caelorum erunt priores, quia Johanni crediderunt, & in remissionem peccatorum baptizati, adventum Christi confessi sunt, curationum opera laudaverunt, Sacramentum passionis acceperunt, virtutem resurrectionis agnoverunt. Principes autem Sacerdotum & Pharisaei videntes haec & contemnentem, qui iustificati per fidem non erant, nec per poenitentiam regressi sunt ad salutem, atque ideo in perpetuum fructus eorum sub maledictione ea, quae sicut arbore praeformabatur, arescit. Sed haec applicatio provenit ex eo, quod Hilarius putat in responsione Sacerdotum legendum esse ο δὲ υἱοῦ, cum tamen correcti Codices legant ο πατρὸς, quam lectionem confirmat ipse contextus. Nec possunt publicani & meretrices Johannis praedicationi credentes, sicque voluntatem Patris caelestis facientes conferri cum filio juniore, qui non abiit in vineam, sed voluntatem Patris sui implere neglexit. Neque obstat huic applicationi, quae Sacerdotes cum filio posteriore conferuntur, quod Matth. 3. v. 7. *multi ex Pharisaeis & Sadduceis ad Baptismum Johannis***

De 3

venit e

venire dicuntur; quodq; Act. 6. v. 7. multa turba Sacerdotum post Christi resurrectionem & ascensionem dicitur fidei obadiisse. Venerunt enim ad Baptismum Johannis, ut spectatores essent, non ut ipsi baptizarentur, ut colligitur ex Luc. 7. 30. vel si qui ex ipsis Baptismum susceperunt, comparatione reliquorum admodum pauci fuerunt, quod ipsum etiam de Sacerdotibus Act. 6. 7. statuendum, videlicet nullam esse comparationem inter conversos ex illorum ordine aliquos, cum reliqua ipsorum multitudine, quæ mansit incredula. Porro ex eo, quod Christus dicit, *ἐ μετεμελίσθητε ὑπερὸν τῆς πνεύματος*, quidam colligunt fidem non esse pœnitentiæ partem, sed ejus consequens. Sciendum verò per *μεταμελίσθητε* hoc loco non intelligi ὁλκωσὶς totum opus conversionis, cujus pars essentialis est fides, sed *μεελακωσὶς* priorem pœnitentiæ partem, contritionem scilicet, quæ omnino requiritur, antequam fidei beneficia in verbo Evangelii oblata possimus apprehendere, quo sensu etiam vox *μεελακωσὶς* accipitur Marc. 1. 14. *pœnitentiam agite, & credite Evangelio*. Act. 20. 21. *testificans pœnitentiam in Deum, & fidem in Christum*. Qui à sua impietate divinitus revocantur, in illis hic servatur ordo, ut legis fulmine prius terreantur, priusquam Evangelii voce erigantur, ut ad morbi agnitionem & detestationem prius adducantur, antequam ad Medicum animæ, Christum scilicet, verà fide apprehendendum remittantur. Qui fidem negant esse partem pœnitentiæ essentialem, illi statuunt fidem priorem esse pœnitentiæ, atq; ad eam disponere, jam verò fides hoc loco pœnitentiæ postponitur, quomodo igitur prævia ad pœnitentiam dispositio statui potest? Observanda autem ex hac speciali parabola applicatione.

1. Christi in docendo & arguendo *παρηγορία* omnibus fidelibus Ecclesiæ Doctoribus ad imitationem proposita. Probè noverat, proceres Hierosolymitanos vitæ suæ insidias frueri, sed nihil veritus ipsorum odia & iniquas machinationes, publicæ coram universo populo eos convincit, quod publicanis & meretricibus sint pejores, ut suo hac in parte satisficiat officio, & ad pœnitentiam ipsos permoveat, vel certè eos *ἀντιπαλαίματους* reddat. Chrysostr. hom. 68. in Matth. *Propterea scortata & publicanos in medium proferebat, ut istos commoveret.*
2. Insigne testimonium Johanni à Christo datur, quod *venerit in via justitiæ*, id est, quod fuerit Doctor justitiæ & salutis, quodque vitam doctrinæ respondentem egerit. Cùm enim Johannes in suo ministerio fuerit fidelis Dei præco, ideo quicquid docuit, Christus in ipsius Dei personam confert: dicuntur enim voluntatem Dei fecisse, qui Johanni crediderunt, ac pœnitentiam egerunt. Tutò igitur prædicationi Johannis ab Evangelistis annotatæ credimus, & digitum ejus, quo Christum *agnum Dei tollentem peccata mundi* nobis monstrat, sequimur. Et quia Johannes in suo officio typum gerit totius Ministerii Ecclesiastici, ideo ex eo, quod Sacerdotes Johannis doctrinæ fidem habere recusantes voluntati Patris cœlestis repugnasse dicuntur, rectè colligitur, quod ipsi Deo rebelles sint, qui fideles Ecclesiæ ministros audire renuunt.
3. Christus non blanditur peccatis, nec studium bonorum operum deprimit, quando publicanos & meretrices Sacerdotibus,

Scribis & Senioribus præfert. Neque enim loquitur de peccatoribus, qui tales adhuc erant, sed qui pœnitentiâ vitæ pessimè actæ ducti ac seriò ad Deum conversi *faciebant fructus pœnitentiæ dignos*, Matth. 3. v. 8. 4. *Oportet credere*, ait Cassianus lib. 6. de gestis Salvat. cap. 22. *omnes esse peccatores, & egere misericordiâ Dei. Sed pœnitentiâ & impœnitentiâ dispares faciunt, cùm unus peccatorum suorum pœnitentiâ ductus respicit à malis, & ad viam veritatis revertitur, alter verò cor impœnitens sibi thesaurizat. Potiorem autem credamus in conspectu Altissimi hominem diffusum in malis omnibus peccatorum, reverentiam tamen ad justitiam fidei, quam quæquam immaculatè viventem fidei justitiam non habentem.* 5. Peccatoribus in hac vita patet adhuc aditus ad regnum cœlorum, id est, ad gratiam Dei & salutem per veram & seriam pœnitentiam, Ezech. 18. v. 33. cap. 33. v. 11. 1. Timoth. 2. v. 4. &c. Christus ipse testatur, se ideo in hunc mundum venisse, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret, Matth. 9. vers. 13. 1. Timoth. 1. vers. 15. Fieri possunt gratiæ & gloriæ organa, qui prius Satanæ fuerunt mancipia, quod non solum Scripturæ dicta, sed etiam peccatorum conversorum exempla luculentè testantur. 6. *Nemo igitur, qui malè vixerit, desperet, ait Chrysostr. loc. nemo, qui virtutem colit, confidat ac dormitet, ne meretrix quæpiam eum antevertat. Ille autem non desperet, cùm ante primos etiam possit volitare, &c. Quis Manassè deterior fuit? sed facile conversus propitiûs sibi Deum largis reddidit lachrymis. Quis Salomone felicior? sed cùm negligentia dormitasset, decidit in profundum. Verùm has ambas in uno, nempe in ejus Patre (Davide) mutationes possum ostendere, qui modo diligenti pœnitentiâ in sublime scandeat, modo negligentia in insinam labebatur. Quis Judâ beator? sed factus est proditor. Quis inferior Paulo? sed vas electionis constitutus est. Quis Simone laudabilior? sed factus est omnium abjectissimus, &c. Multi à morbo diligentia convalescunt, & multi ex sanitate in morbum negligentia inciderunt, &c. Rahab meretrix erat, sed salvata est. Latro truculentissimus fuit homicida, sed civis Paradisi est effectus. Nec Jude profuit, quod Magistrum discipulus sequebatur, sed perit; Latro autem in cruce discipulus est factus. Hæc Dei mirabilia sunt. Sic Magi comprobati, sic publicanus Evangelista factus est, sic Paulus à blasphemio in Apostolum evasit, hæc considerans non despera.* 7. Qui sibi in regno Dei videntur primi, coram Dei oculis sunt novissimi, Matth. 20. 16. Sic peccatrix præfertur Simoni Pharisæo, Luc. 7. 44. adultera accusatoribus Pharisæis, Joh. 8. 7. publicanus Pharisæo, Luc. 18. v. 13. publicani & peccatores Pharisæis, Matth. 9. v. 13. Gentiles Judæis, Esa. 65. 4. Matth. 8. 11. Act. 13. 46. Rom. 9. 30. cap. 10. 3. &c. Simus ergo in oculis cordis nostrinoviissimi, abjiciamus omnem propriæ justitiæ & dignitatis fiduciam, ita in oculis Dei erimus primi, id est, grati & accepti.
- 8. Quando videmus eos, qui in Ecclesia primatum tenent, ac præ cæteris sancti & religiosi videri volunt, non recipere Evangelium, nec voluntati ejus per fideles Ecclesiæ Doctores propositæ velle obsequi, non tantopere tanquam re novâ & insolitâ commoveamur, ut propterea ipsimet quoque veritatis confessionem abjicere velimus,

velimus, sed cogitemus idem accidisse temporibus Christi. Sacerdotes, Scribæ & Seniores nec Johannis doctrinâ nec publicanorum exemplo permoveri potuerunt, ut pœnitentiam agerent & in Christum crederent: ita adhuc hodie sapius contingit, ut omnium deterrimi sint, qui reliquis viam salutis monstrare debebant, ac veritatem præ reliquis persequantur, qui primi eam amplecti debebant. Id verò originem trahit ex Clericalifatu & arrogantia. Turpe enim sibi fore ducunt & Sacerdotali ordini minus conveniens, si in causa religionis exemplum Laicorum sequi debeant, cum dignitas ordinis requirat, ut Laici potius ipsos subsequantur. Nolunt igitur ingredi illam viam, quam primi non sunt ingressi, etiamsi in corde suo con victi sint, illam esse rectam & salutarem; malunt per impœnitentiam in pessimis suis viis persistere, quàm ordini Sacerdotali illam, quam sic interpretantur, turpitudinis notam conciliare. 9. Longè majoris laboris est & difficultatis, convertere hypocritas opinione propria sanctitatis fascinosos, & inflatos, quàm publicos & notorios peccatores. Illi enim cum se fa-

nos arbitrentur, Medico minime sese indigere somniant Matth. 9. vers. 12. hi verò ad internum conscientie evigilantis tribunal ducti, facilius ad peccatorum suorum agnitionem & detestationem perveniunt, ut ad Medicum animarum aspirant. Luc. 7. vers. 29. *Publicani justificaverunt Deum baptizati baptismo Johannis, vers. 30. Pharisei autem & Legisperiti consilium Dei adversus seipos spreverunt, non baptizati ab eo.* 10. Incredulitas & impœnitentia sunt causæ, propter quas homines excluduntur è regno cœlorum. Omnibus patet aditus ad gratiam Dei, omnibus in Christo paratus est thesaurus salutis, omnibus idem offertur in verbo Evangelii, sed per incredulitatem & impœnitentiam respuitur. Marc. 16. v. 16. Johan. 3. v. 18. & 36. 11. Quotquot veram pœnitentiam agunt & à peccatis ad Deum convertuntur, exemplo suo nobis prælucent, ut illorum vestigiis insistamus; sin minus in die judicii erunt nostri accusatores. Matth. 12. v. 40. & 41. sicut hoc loco Christus testatur, publicanos & peccatrices per suam pœnitentiam Sacerdotes & Scribas accusare.

CAPUT CLII

CHRISTUS PARABOLAM DE VINEA INGRATIS

AGRICOLIS ELOCATA SACERDOTIBUS ET SENIORI-

BUS PROPONIT. MATTH. 21. VERS. 33.

MARC. 12. VERS. 1. LUC. 20. VERS. 9.

RATIO ORDINIS.

Parabolæ de duobus filiis in vineam à parente ablegatis Matthæus immediate subiungit parabolam de vinea ingratis agricolis elocata, neq; quidam apud reliquos Evangelistas occurrit, quod loco intermedio interleri debeat: nam & Marcus & Lucas hanc de elocatione vineæ parabolam subjungunt colloquio de Baptismo Johannis, & reliquis Christi concionibus eandem præmittunt, ut de connexionione nulla superfit dubitatio. Matthæus etiam per peculiarem transitionis formulam seriem connexionis monstrat. Præmittit enim Christum dixisse: *ἀλλ' ἢ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ.* Ergo hæc parabola est in ordine secunda inter eas, quas tum temporis Christus Principibus Sacerdotum, Scribis & Senioribus proposuit, quia vocula *ἀλλ'* non solum significat alium, sed quandoq; etiam alterum & secundum Matth. 12. v. 13. Luc. 6. v. 29. Joh. 19. v. 32. Apocal. 6. v. 4. c. 17. v. 10. & in hac ipsa parabola Marc. 12. v. 3. quo sensu etiam ponitur vocabulum *ἄλλος* Psal. 109. v. 13. quo Syrus hoc loco utitur; quò referri potest, quod Hebræis *unus* interdum significet primum. Convenientissimo autem ordine hæc parabola sequitur priorem de duobus filiis in vineam ablegatis. 1. In priore parabola Christus Ecclesiam comparaverat vineæ, in hac ipsa latius declarat, quanta beneficia Deus in hanc vineam suam impenderit, quantâ curâ & diligentia eam plantaverit atque omnibus ad fructificationem necessariis instruxerit & exornaverit, quibus etiam colonis eam commiserit. 2. In præcedente parabola accusaverat Proceres & Seniores, quod in vinea

Domini non laborent, quamvis verbis multa promittant, in hac parabola accusationem intendit, ipsosque arguit, quod instar pessimorum non solum otientur, sed etiam servos cœlestis patrisfamilias, qui fructus vineæ ab ipsis postulent, malè tractent, quin de filio ejusdem è medio tollendo sanguinaria consilia agitent. Sic ergo insanabilem eorum malitiam & pertinaciam à majoribus hereditario quasi jure acceptam acrius, quàm in superiore parabola perstringit, ipsosque eò impietatis progressuros prædicit, ut sicut ipsorum majores servos Dei sanctos scilicet Prophetas occiderint, ita ipsi filium Dei sint interfecturi. Matth. 3. v. 10. dicit Johan. Baptista, Arborem, quæ sterilis est ac pessimos quasi profert fructus, excindendam: Quia ergo in priore parabola demonstraverat Christus Principes Sacerdotum esse verâ pietate & fructibus bonorum operum vacuos: ideo in hac parabola ostendit eos pessimos proferre fructus ingratitude, crudelitatis, pertinaciæ, avaritiæ, &c. ac proinde excidium ipsis prædicit. 3. In quæstione Christo proposita, *quâ autoritate talia faceret*, Hierosolymitani proceres haud obscure sanguinarium suum animum declaraverant, voluerunt enim Christum tanquam alienæ potestatis temerarium & seditiosum usurpatorem tacite accusare, ut ansam haberent apud Præsidem Romanum de ipso conquerendi, ipsumque ad supplicium rapiendi. CHRISTUS igitur hoc sanguinarium ipsorum consilium in lucem jam producit & ad plebem, hoc est, audiente omni populo de nefaria ipsorum crudelitate dissemit. 4. In

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

D. d. 4. præce-